This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Mason
N.Y. 433.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# D. IO. FRID. MAYERI,

SS. Theol. Prof. Prim. Consil. Regii, Acad. Pro-Cancell. Consist. Reg. Præsidis, Superint. Generalis & ad D. Nic. Pastoris,

# BIBLIOTHECA BIBLICA,

sive

*DISSERTATIONVM*

**De Notitia Auctorum, Pontificiorum, Reformatorum & Lutheranorum, immo & Judæorum, qvi in Sacram Scripturam Commentarios scripserunt,**

*IN ACADEMIA GRYPHISWALDENSI*

in lucem emissarum

**DECAS.**

*EDITIO QVARTA.*

BIBLIOTHECA BODLEIANA

*LIPSIÆ,*

IMPENSIS JOH. MARTINI BURGKMANNI,

IN COLLEG. PAUL. 1714.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. J.

# DISSERTATIO I.

## *Scriptores Pontificios, qui Catalogos Commentatorum in S. Scripturam vulgarunt, exhibens.*

Dissertatio hæc refert. I. *Sixtum Senensem cum Notgero*, II. *Antonium Possevinum*, III. *Angelum Roccham*, IV. *Fabianum Justinianum*, V. *Andream Schottum*, VI. *Antonium Sanderum*, VII. *Jacobum Pamelium*, VIII. *Bibliothecam Jesuiticam Alegambii*, IX. *Hispanam Nicolai Antonii*, X. *Catalogos Thuanæ aliarumque Bibliothecarum*. XI, *Ludovicum Jacobum a S. Carolo*, & XII. *Richardum Simonem*.

I. Auspicabimur autem Scriptorum, qui Commentatores in S. Codicem collegere, ordinem a *Sixto Senensi*, Ordinis Prædicatorii, (sive Dominicani) Monacho, qui inter Pontificios primus sollicita destinatione hunc laborem est ingressus. Edidit is, Anno alterius abhinc Sec. 66. *Bibliothecam Sanctum* Venetiis, quæ sæpius deinde in Italia, Gallis, & Germania, typis exscripta, (vid *Labbæi Bibliothecam Bibliothecarum p. 325.*) demum Coloniæ Anno 1626. prodidit. Liber IV. Bibliothecæ hujus diligentissime in hoc argumento versatur, cujus summa ex præfatione ejus excerpta, hæc est: *Quartus Bibliothecæ nostræ liber, quem nunc juxta Alphabeticum literarum ordinem digerimus, comprehendit omnium Catholicorum expositorum, existantium, & non ex-*



*stan-*

Digitized by Google

*stantium, qui ab Anno 330. ante CHRISTUM, usque in hunc diem divina volumina exposuerunt, nomina, cognomina, genus, dignitates, tempora, Commentariorum numerum ac varietatem, lingvam, stylum, expositionis genus, & exponendi methodum, ac virorum illustrium de plerisque nobilium expositorum scriptis judicia.* Legit vero, ceu ingenue fatetur, presse vestigia Doctorum, cum primis illorum, qvi Catalogos Ecclesiæ Scriptorum ante ipsum ediderant, ita enim in præfatione: *Qvæ qvidem omnia collegimus, tum ex approbatissimis Historiæ Ecclesiasticæ Autoribus, Eusebio, &c. & c. tum iis, qvi Catalogos illustrium Ecclesiæ Scriptorum ediderunt, in qvibus maxime secuti sumus Hieronymum, Gennadium, Isidorum, Honorium, Sigebertum, NB. Nauclerum ac Trithemium, cætera utcunqve supplevimus ex variis Italiæ, Galliæ, Hispaniæ & Græciæ Bibliothecis.* Hæc referens ambigo utrum *Antonio Possevino* Lojolitæ assentiri possim, emendati *Sixtum*, & pro *Nauclero* substituenti *Notgerum*, in *Apparatu Sacro*, sub *Sixti Senensis* nomine, *fol. 227.* . *At, cum testetur Sixtus, se plerosq; ex Trithemio Sigeberto & Notgero collegisse, sciendum est, Notgerum seu Notgerum cum fuisse, qvi ex Abbate monasterii Galli Episcopus Leodiensis, scripsit præter alia librum de S. Scripturæ Expositoribus.* Plurimi enim & gravissimi, harumqve rerum peritissimi Scriptores, Notgeri Scripta summa cura enarrantes, hunc de expositoribus Scripturæ Commentarium prorsus non habent, vide qvæso *Sigebertum Gemblacensem*, & *Aubertum Miræum in Notis fol. 147.* doctissimum *Gerhard. Joh. Vossium, de Historicis Latinis, Lib. II. Cap. LIX. Gvilielmum Cave, Scriptorum Ecclesiasticorum*



Digitized by Google

*corum Historiæ Literar. p. 586.* in Seculo obscuro. Qvid? Ipse *Possevinus*, *Apparatus S. p. 501. Notgeri* scripta referens, de S. Scripturæ expositoribus librum tacet, erroremqve qvod ex duobus Notgeriis unum fecerit, ex *Arnoldo Wione* emendat. Adde qvod jura illa sibi asserat *Nauclerus*, qvorum debitorem *Sixtus* grato se agnoscit animo. Laudat Sixti laborem Richardus Simon *Crit. V. T. Lib. III. Cap. XVII. Sixti Senensis opus, nomine Bibliothecæ Sanctæ utilius multo, ad perfectam librorum sacrorum intelligentiam; Consilium ejus est, & scopus, istorum Autores, antiqvas versiones, & Commentarios indicare. Qvamvis porro non plane in Critica S exercitatus fuerit, in eo tamen opere plus qvam in qvovis alio, & summa eruditio, & subactum judicium cum magna libertate conjuncta apparent.* Notat in *Sixti Lib IV. Bibliothecæ Possevinus* plura; pleraqve tamen ita comparata sunt, ut non tam falsa, qvam Romanæ curiæ, doctrinæqve ab illa receptæ minus consentanea esse videantur, aut recentiora multo sint, qvæ Sixtus præmatura morte Anno 1569. exstinctus per nullas suspiciones assequi poterat. Inqvisitores etiam in Indicem librorum expurgandorum retulere *Bibliothecam Sixti*, Anno 1667. non obstante, qvod *Johannes Haijus*, Lojolita, medicam diu ante operi admoverit manum. Nos in *Sixto* improbamus, qvod Interpretes a Commentatoribus: edita ab in editis: qvæ hodie supersunt, a deperditis: expositionem partis alicujus libri, a justo Commentario non distingvat, illorum, qvi a Romana curia abeunt, suam tamen Ecclesiæ & pietatem & industriam in explicandis Scripturæ oraculis, proba-

runt, nullam prorsus faciat mentionem. Vera me dicere ex *Catalogo expositorum S. Scriptura, juxta ordinem voluminum utriusque Testamenti digesto, in quo enumerantur explanatores, qui vel in omnes, vel in aliquot, vel in singulos Bibliorum libros scripserunt, Lib. IV.* Bibl suffixo, patet. Ita vero Sixtus: *Catalogus eorum qui in V. T. scripserunt: Aquila, Eusebius Cæsariensis, Hesychius Monachus, Josephus Hierosolymitanus, Justus Tyberinus, Lucianus, Matthæus Dœringus, Paulus Burgensis, Patrophilus, LXX. Interpretes, Sophronius, Symmachus, Theodotion.* Ex his ne unus quidem est, qui perpetuo Commentario V. T. illustraverit. *Patrophili* autem versio nunquam exstitit, atque inter *Alphonsi Ciacarelli Laurentios Laurentianos, Fabianos Salmerios, Jo. Celinos Jo. de Virgilio,* (vid. *Allatius in Animadvers. ad Antiqv. Hetruscarum fragmenta Paris. 1640. Romæ 1648. editis p. 14.*) &c. & *Curtii Inghiramii Lidoos, Felsinios, Elbios, Vulterranos, Ennios, Dandolinos, Antios Gredonios* numeranda. Quorum fraudes deregunt idem *Allatius*, libro dicto, *Henricus Ernstius*, (neque enim *Paganinus*, *Gaudentius* Autor est, ceu B. *Morhoffio* in Polyhistore visum) in *Observat. ad Inghiramum* editis Amstelod. 1639. in 12mo. *Vossius de Histor. Lat. Lib. I. Cap. IX.* Decepit *Sixtum* oralis Scripturæ expositio a *Patrophilo* instituta apud *Socratem, Hist. Eccles. Lib. II. Cap. IX.* Confer ipsum *Sixtum Lib. IV. Bibl.* & in voce *Patrophilus* oscitantiamque deprehendes. *Septuaginta Interpretes* universum codicem reddidisse, si non aperte falsum, oppido tamen dubium est. Vide, quæ ex styli varietate *Andreæ*

*Ma-*

Digitized by Google

*Masius*, homo Pontificius, *Præfatione ad Josuam*, & ex *Philone* doctissime collegit, probavitqve (ut præteream in præsens alios) Eruditissimus & longe Celeberrimus Hamburgensium Professor *D. Jo. Alb. Fabricius* meus, *Notis ad Aristeam* recentissime *Josephi* editioni subjunctis *fol. 37.* unus restat *Paulus Burgensis* cum adversario suo *Matthæo Dæringo*, qvi forte merebatur h.l. nominari, sed & hic non tam Commentario vocavit, qvam, ceu ex inscriptione liqvit, notabilibus additionibus ad *Postillam Nicolai Lyrani*. Et qvis *Bernhardum*, *Gregorium Nazianzenum*, *Chrysostomum*, *Josephum*, *Marium Victorinum*, *Simonem Angelum*, perpetuo Commentario libros Maccabæorum exposuisse, *Sixto* credat? Qvis *Probæ* & *Eudoxiæ*, qvarum illa versibus ex *Virgilio*, hæc ex *Homero* conqvisitis, sacra qvædam ingenioso labore expressit, locum inter Autores Catenarum cum *Sixto Senensi* concederet?

II. Sixtum excipit *A. Possevinus* Mantuanus, societatis Lojoliticæ, ab Anno Christi 1559. ætatis suæ 26. ad Annum 1611. ætatis 78. qvo Ferrariæ obiit, non ignobilis portio. Qvem, cum a teneris maximo arderet literarum more, ut dormiturus pedum ad columnellam (campanulam) alligaret, ut, *ubi primum se ab sopore primo commisset*, (*Ribadeneira* teste *in vita*) *eo veluti monitore excitatus ad studia surgeret*, non oleum atqve operam perdidisse, doctissimi deinde qvos extrusit, ingenii fœtus abunde probarunt. Præstant inter ejus scripta, non mole duntaxat, sed pretio etiam & utilitate præ cæteris *Bibliotheca*, & *Apparatus*

*Sacer. Bibliotheca ſelecta*, in 18. diſtincta libros, & omne genus Autorum juxta diſciplinarum ſeriem perſequens primum prodiit Romæ, 1593. in fol. recuſa deinde Venetiis & Coloniæ. In ejus *Lib. II. Cap. LXXIX.* occurrit *Elenchus interpretum atque eorum, qui Gloſſas, vel Paraphraſes, aut Concordantias in omnes Scripturæ S. libros edidere, quorum uſus & emendationes ab Autore deinde fuſius tractantur in Apparatu Sacro* Fatetur Poſſevinus ipſe, ſe Sixti Senenſis veſtigia legere, & qui hujus catalogum cum illo contulerit, reperiet, pauca admodum Poſſevini induſtria acceſſiſſe, confuſionem eandem, eosdem qvos in Sixto notavimus errores, nec qvic qvam majoris accurationis. Minus vero mirabitus *Poſſevinum* nomina Autorum non inſpectorum paſſim adſcribendo & confundendo, hallucinari, qvi meminerit, eum non dubitaſſe ſingulari libello impugnare *Principem Machiavelli*, qvem nunqvam viderat, venditatqve in ſcripto ſuo pro opere diviſo in tres libros, cum unicus isqve exiguus ſit libellus, diſtinctus in Capita XXVI. Alterum Poſſevini opus eximium inſcribitur: *Apparatus ſacer ad Scriptores V. & Nov. Teſtam. in qvo octies mille Autores partim indicantur, partim expenduntur, additis paſſim cenſuris, expurgationibus, emendationibus, correctionibus verſuum aliisqve.* Hoc diviſum in tres Tomas ſecundum literarum ſeriem exhibet Scriptorum Sacrorum Eccleſiaſticorum nomina, qvibus deinde qvæ a ſe de iis cum e Sixto, tum ex aliis obſervata fuerant, Autor ſubjicit. Magnum laborem, magnamqve doctrinam præ ſe fers hic liber, ut merito dictiſſimum & laborio-

Digitized by Google

boriosissimum opus *Vossio* patri audiat. Sed nec pauci in obvii sunt errores, qvorum pars ab eodem *Vossio*, in *opere de Historicis*, sparsim est annotata. Prodiit *Possevini Apparatus* primum Venetiis, Anno 1603. Deinde auctior Coloniæ Anno 1608. Protestantes similiter in hoc opere prætermittuntur, nisi, ubi per fœdissimum errorem *Lucam*, v. gr. *Trelcatium, Tom. II. Appar. S. fol. m. 354.* annumerat Scriptoribus Pontificiis, cui celebre fuit nomen, ut est notissimum, inter Theologos religionis Calvinianæ. In calce hujus operis occurrunt Catalogi MSS. Græcorum & aliorum etiam Codicum ad S. Scripturam & res Ecclesiasticas pertinentium, qvi in antiqvis & celebrioribus Bibliothecis asservantur, tam ineditorum, qvam, eorum qvi vulgati fuerunt, sed in his qvoqve sæpius illum cespitare, passim annotavit *Lambecius in Comment. de Bibliotheca Vindobonensi, Tom. III. &c.* Qvod ad Catalogum deniqve Commentatorum in Scripturam attinet, is in hoc apparatu non uno loco exstat, sed per totum opus ita est dispersus, ut Commentatores in Josuam v. gr. qværendi sint sub illa litera qva nomen Josuæ incipit, atqve ita de cæteris, Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantici canticorum, & Sapientiæ, in voce Salomon. Fallitur autem, qvi hic qvoqve accurati qvid & distincti qvæsiverit, eosdem enim & his libris errat errores, qvos Sixtus, qvin imo auget. Sic inter eos, qvi in qvatuor Evangelistas scripsere a Possevino nominantur *Agrippa, Apollinarius, Eusebius, Fortunatianus*, ex qvibus *Agrippa* nunqvam in Evangelia Commentarios edidit, etsi *Bastidius* adversus doctrinam Christi con-

confutaverit calumnias, reliqvorum autem scripta, uti Agrippæ pridem perierant. Iisdem Possevinus accensetHieronimum Vidam, Monachum Cremonensem, propter editum Poema, qvod, *Christeidem* inscripsit, & *Juvencum*, Historiæ Evangelicæ Metaphrasten antiqvum Latinum, & veterum Teutonicum *Odfridum*, Monachum. Vicissim omissa a Possevino deprehendes præcipua maximi momenti, etiam veterum Commentaria sæpius excusa, qvemadmodum explanatores Matthæi recensens, prætermisit *Hieronymum & Hilarium*, duo lumina Ecclesiæ Latinæ: Contra nominavit *Athanasium*, *Basilium*, *Clementem Alexandrinum*, *Cyprianum*, *Gregorios*, *Nazianzenum*, & *Nyssenum*, aliosqve, qvorum in illum Evangelistam expositiones, neqve veterum, neqve recentiorum qvisqvam, vidisse se, vel legisse, est testatus. Optime de Possevino judicavit Gallorum nasutissimus Baillietus, cui & nos subscribimus: *Optimum esse Possevini opus, si qvis in eo emendet, qVæ perperam posita, & qvæ omissa sunt, addat.*

III. *Angelus Roccha a Camerino*, ordinis Eremitarum S. Augustini, Sacrarii Apostolici præfectus, & Episcopus Tagastanus, (qvi honor monente *Erythræo*, *Pinacothecæ*, *Part. 1. p. 105.* præter nomen nihil omnino administrationis ac sollicitudinis habet: Ea enim civitas D. Augustini natalibus inclyta a Turcarum tyranno dominatu regio premitur: pro titulo custodibus Sacrarii Apostolici concessus, qvod sine onere sit, ita *Andreas du Saussay ad Bellarm. p. 6.*) qvi Anno 1605. obiit, scripto Commentario *de Bibliotheca Vaticana*

Digitized by Google

*ticana* Anno 1591. valde clarus, qvi liber tamen celebrior est, qvam doctior, aut utilior, & præter fabulas, e. gr. de Petro Apostolo fundatore Vaticanæ Biblioth. qvam tamen sententiam recte non refert inter fidei articulos p. m. 52. præter mendacia de Conciliis, & picturarum expositionem, adde plagia ex *Onuphrio*, qvæ ipsi *Conringius* objicit *de Bibliothec. Aug. p. m. 35.* nil continet, ut qvenqvam in admirationem suo convertat. Hic anno postqvam *Possevinus Bibliothecam* suam *selectam* Romæ emisit in lucem, in eadem urbe vulgavit *Bibliothecæ Theol. & spiritualis Epitomen sive indicem, ordine alphabetico digestum ad promptius invenienda & facilius intelligenda, qvæ in S. Scriptura a Doctoribus sanctis & a præcipuis aliqvot Theologis elucubrata sunt adjectus est insuper catalogus Alphabetico itidem ordine designatus, scriptores omnes, qvi in Biblia aliqvid unqvam ediderunt, continens.* Sed videbit simul & indignabitur lector, in hoc catalogo merum *Sixti Senensis* Indicem, nulla ejus facta mentione, nulloqve ejus emendato errore denuo sibi propinari, recentioribus nonnullis & paucis illis hinc inde adjectis, similiter, uti a *Possevino* factum fuerat.

IV. *Fabianus Justinianus* Genuensis, Oratoriæ congregationis Presbyter, post a Paulo IV. Anno 1616. creatus Episcopus Adjacensis, ad plures abiit, Anno 1627. vide *Ferdinandi Ughelli Ital. Sacr. Tom. 3. fol. m. 1608.* Scriptis *in Tobiam explanationibus* de Ecclesia Romana optime meritus. Duos libros h. l. nobis commemorandos dedit, qvorum unus Romæ typis exscriptus Anno 1619. inscribitur: *Index universalis Alphabeti-*



Digitized by Google

*tus, materias in omni Facultate consulto pertractans; earumque scriptores & locos designans, Appendice perampla locupletatus. Elenchus item Autorum, qui in S. Biblia vel universe, vel sigillatim, etiam in versiculos data opera scripserunt; juxta eorundem Bibliorum ordinem dispositus:* Alterius Romæ Anno 1624. excusi lemma est: *De S. Scriptura, ejusque usu ac Interpretibus Commentarius, in quo non solum ad S. Bibliorum lectionem & sacras conciones formandas institutio traditur, sed etiam selectorum librorum in universam Theologiam speculativam, Practicam, & positivam singularis, & in universam scripturam notitia universalis perhibetur.* Qui idem liberaliqvot annis interjectis recusas est sub titulo *Commentariorum de S. Scriptura & Concionatore sacro.* Enimvero *Justiniani* labores Pontificiorum qvamvis expleant desideria, nostræ tamen Ecclesiæ Doctorum non respondent exspectationi, qvod supposititia scripta, qvorum & ipsos Papæos pudet, pro genuinis adhibet, & Pontificios tantum in exponendæ scripturæ oraculis sapere, stulte sectæqve vitio sibi persvadet.

V. *Andreas Schottus*; cui multum debent elegantiores literæ, patria Antwerpia, atqve universus Lojolitarum ordo, qvem ab Anno 1556. usqve ad fatalem 1629. ornavit, etiam huic collectioni navavit operam. Ita enim apud *Philippum Alegambe* scripta *Schotti* in *Bibliotheca Jesuitica* enarrantem *f. m. 56.* lego: *scripsit Schottus de Scriptura & Catholicis S. Scripturæ Interpretibus, ordine Bibliorum, Coloniæ apud Kinciuum 165.* Gemina refert *Antonius Teisserius* in *Catalogo Autorum & Bibliothecarum*, voce. *Joh. Molanus*, D. Theol. Lova-

Lovanienſis *p. 192. Bibliotheca Theologica, cujus pars prima eſt materiarum, qvæ & a qvibus auctoribus, cum antiqvis, tum recentioribus ſunt pertractatæ. Accedunt Catalogi duo, primus Catholicorum, S. Scriptura Interpretum, Biblicorum librorum ordine, opere Andreæ Schottii, &c. Colon. ap. Joh. Kinkium 1650. 4to.* Noſtros in hunc usqve diem fugit oculos, anxie qvamvis qvæſitus iſte Schottianus labor.

VI. Jam ad *Antonium Sanderum*, Canonicum atqve Scholaſticum Iprenſem, ſcriptorem inter ſuos tantæ dignitatis; ut donaria ipſi pro labore non aurum argentumve deſtinarent, hæc enim infra merita erant, ſed particulas de corporibus ſanctorum, qvos celebraverat ſcriptis. Accipe *Valerii Andreæ Biblioth. Belgic. p. 74.* verba: *Scripſit Antonius Sanderus Panegyricum in laudem B. Thomæ de Villa Nova, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cognomento Eleemoſynarii, Archiepiſcopi Valentini apud Patres Auguſtinianos dictum; qvem cum in Hiſpaniam ad Archiepiſcopum & Canonicos Tarentinos Autor deſtinaſſet, illi in eximiæ gratitudinis argumentum miſerunt eidem non exiguam partem e femore ejusdem Divi exciſam, legitimisqve teſtimoniis reboratam adjunctis S. Scripturæ pleniſſimis literis.* Huic *Sandero* etiam debemus *Elenchum Catholicorum Interpretum inſcripturam, Lovanii Anno 1649. 4to.* Sed majori ſcias ſtudio & ſollicitudine ipſum *Antonius ſanctitate & eruditione claros*, peculiari libro, Lovanii, 1627. edito, & *Cardinales, ſanctitate, doctrina, & NB. armis illuſtres Lov. 1626.* qvam ſacrorum oraculorum qvos ex *Sixto* vitioſe exſcripſit Interpretes recenſuiſſe.

VII. *Jacobus Bamelius* Brugensis, e nobili Baronum Pameliorum stripe, (*de Paemle*) oriundus, ac deniqve evectus ad Audomaropolitanum in Artesia Episcopatum, obiit, longiore ætate dignissimus A. 1587. cum annum æt. ageret secundum & qvinqvagesimum. Hic vir & sacræ antiqvitatis peritissimus; & cum multis scriptis, qvibus eam illustravit, tum repetita *Tertulliani, & Cypriani, Liturgicorum* item *Latinorum* editione celeberrimus; magnamqve gratiam, ut *lib. 28. Histor. Thuanus* ait, a doctis & piis omnibus consecutus, inter alia qvoqve luci exposuit *Catalogum Veterum Sectorum in Biblia universale commentariorum*, qvi *Cassiodori*, (non contemnendi *sec. VI.* Scriptoris, *divinis lectionibus* adjectus prodiit Antverp. ex officina Plantiniana, A. 1566. 8o. Qvamvis autem illo tempore non inutilis studiosis esse potuerit utpote autorem habens lectione & judicio præditum, sacrarumqve literarum valde peritum, hodie tamen merito jejunior videtur.

VIII. *Bibliotheca Jesuitica* primam originem debet *Petro Ribadeneira* Hispano, qvi puer admodum anno superioris seculi 1575. in nascentem tunc societatem Logoliticam & a Pontifice nondum confirmatã allectus, illam scriptis plurimis illustravit. Dedit hic *vitas Ignatii Loiola, Jacobi Lagne Zii, & Francisci Borgia*, trium Primorum societatis Jesuiticæ Præpositorum Generalium; *Alphonsi Salmeronis*, unius ex primis decem soc. Jesu Patribus, aliaqve plura: Circa novissima autem Scriptores Soc. Jesu magna sollicitudine collegit, ita enim ipse: *De scriptoribus nostræ societatis tractatum ad finem Dei gratia adspirante perduxi, hoc ipso die, qvo,*

Digitized by Google

*qvo latissimæ omnium sanctorum feriæ celebrantur. Qvi qvoqve mihi vitæ initium fuit, & septuaginta novem annis exactis, octogesimum jam ingredior.* Prodiit Catalogus iste Antverp. 1608. 8o. apud *Plantinum*, auctior a Lugdunensibus 1609. eadem forma, typis *Joh. Billebotte*, in qva editione addita & correcta sunt illa, qvæ de scriptoribus Gallicanis *Ribadeneira* minus fuerant explorata. Et biennio post Autoris mortem *Andreas Schottus Julii Nigronii* Genuensis *emendationes* qvæ Italos imprimis spectabant autores, auctoriumqve, adjecit Antwerp: 1613. *Philippus* autem *Alegambe* natione Belga patria Bruxolensis, ejusdem societatis portio, variis accessionibus eum auxit, & ex libello volumen effecit, telam usqve ad 1642. pertexens, editionem promovente *Joh. Meursio*, Bibliopola Antverpiensi, 1643. fol. Denique *Nathanaël Sotvellus* ejusdem societatis Presbyter Romanus *Bibliothecam Jesuiticam* produxit ad annum Jubilæi 1675. *Alegambii* novem annorum, qvos editioni suæ supervixerat (obiit n. Rom. 1652.) studio. Plus justo ingeniosus hic fuit in alieno labore, omisit enim errores plures a *Ribadeneira* & *Alegambe* notatos e.gr. desertores societatis; *Jacobum Reibingium*, aliosqve qvorum scripta societati asseruerat *a le Gambe* in præfatione: *Nonnullos retensui, qvi, postqvam in societate suas elucubrationes emiserunt, non tenuerunt in illa constantiam, haud dubie debent societati accepta referri, qvæ ab illis prodierunt, præferunt & nomen societatis.* Prodiit *Sotvelliana* editio Romæ 1676. fol. In hac itaqve *Bibliotheca*, qva Scriptores, qvi societati Lojoliticæ nomen dederunt ordine literatum

juxta prænomina recensentur, & de vita eorum pariter ac scriptis prolixius agitur, ad calcem subjectos vides varios Indices; inter qvos in materiarum indice, primum locum occupat *Elenchus Commentatorum è societate Jesu in S. Scripturam*, p. 483. edit. *Alebambii* & p. 841. edit. *Sotvellii*. Jam, si ex vero aliqvid obtineret illa Jesuitarum persvasio, omnem veram eruditionem atqve sapientiam cancellis suæ Societatis circumscribi, (confer in hanc rem *Imagines 1. seculi soc. Jesu*; Lib. tertium integrum, & Jesuitam sub *Ridelii* nomine latentem, *in Cave aturturis: Nihil profecto purius & elegantius societatis stylo est, omnis verborum ornatus, rerum copia, sententiarum dignitas in societatis eruditionē migravit*) ut doctus, scripturarumqve potens nemo esse possit, nisi idem sit qvoq; Lojolita, nemo ambigeret exactum satis & completissimum optimorum sc. S. Scripturæ Commentatorum in Biblia istum referre Indicem, sed risere *Lojolitarum* arrogantiam ipsi Pontificii, *Doctores Sorbonici* in *Censura* apud *Thuanum* lib. 37. & *Orlandium Hist. S. Jesuit.* l. 15. societatem hanc in negotio fidei periculosam, pacis Ecclesiæ perturbationem & magis in destructionem, qvam ad ædificationem esse, affirmando. *Romanus Hay* ordinis Benedicti Monachus *Horti Crusiani* p. 979. *Pulsum arteriarum utriusqve brachii*, (vitæ & doctrinæ) *in hoc societatis corpore Politico inæqvalem satis & concitatum deprehendi, ut nisi præservativis imminenti malo occurratur, facile febris aliqva maligna vel Hungarica sanitatem omnem corrumperet.* Taceo plura, & qvæ ex Reformatorum ordine *Josephus Scaliger*, *Isaacus Casaubonus*, *Epist. ad Frontonem*

*nem Ducæum*, *Salmasius* sub nomine *Simplici Verini* adversus *Gratium*, stolidæ huic persvasioni objecerunt.

IX. Verbo etiam addendum est aliqvid de libro præstantissimo, *B. Morhoffio*, multum laudatissimo *Polyh. L. I. Cap. XVIII. pag. 209. Nicolai Antonii* Hispalensis, ordinis S. Jacobi eqvitis & patriæ Ecclesiæ Canonici, qvem *Bibliothecam Hispanam* inscripsit excudendumqve promisit Rom. 1672. fol. In hoc opere, qvod de *recentioribus Hispaniæ Scriptoribus*, eorumqve libris diligenter & accurate agit, (*de Antiqvis* etiam ab eodem autore editum post *Alphonsi Marschit de Academiis & claris Hispaniæ Scriptoribus* Francof. 1603. fol. excusum opus omnino qvoqve legendum) similes & plurimos & locupletissimos habebis indices. Hic pariter in Indice materiarum familiam ducit eorum enumeratio, qvi sc. vel integram S. Scripturam vel partem ejus commentariis sunt interpretati ubi plurimos qvidem, summoqve cum studio collectos, sed solos, uti Autor præcise fert Hispanos vel qvi in Hispania scripserunt licet invenire.

X. Exstant etiam insignium qvarundam & locupletiorum *Bibliothecarum* Pontificios inter, *Catalogi* doctis non proletaria a viris industria, nec tralatitio judicio confecti & editi, qvorum usus in hac opera esse potest, qviqve, ut aliis generibus scriptorum ita Commentatoribus qvoqve in Scripturam peculiarem classem assignavere. In his primas tenet *Catalogus Bibliothecæ Jac. Augusti Thuani*, magni illius Historici & Polyhistoris, qvem *Petrus & Jacobus Puteani*, alphabetico primum ordine digesserunt, *Ismael* vero *Bullialdus*

*dus* juxta rerum classes apte distribuit, cumque post filii obitum vendenda esset edere non dubitavit curator Bibliothecæ illius *Josephus Quesnellus*, vir doctissimus, & luculenta *Leonis Magni* editione, magnam laudem & gloriam ab eo tempore consecutus, *Casimirus Oudin*, p. 177. *supplem. au Bellarm.* Autor est, Bibliothecam præstantissimam (ad cujus solam librorum compactionem, *Quenellio* teste, viginti millia amplius scutatorum nummum insumta sunt) emptionis jure postea in Colbertinam transiisse. Ne distraheretur, cavit *Thuanus* testamento, quo affirmavit, quadraginta annorum spatio magna diligentia ac sumptu congestam vide de hac Bibliotheca *Ludovici Jacobi a S. Carolo* tractatum *de Bibliothecis, p. m. 567. seqq.* Catalogus, quamvis accurate satis confectus & cum universis, qui unquam editi sunt, possit contendere ab erroribus tamen non fuit exemtus e. c. quando p. 167. *Theodorum Cornberzium* inter Lutheranos, & p. 168 *Johannem Gerhardum* inter Calvinianos refert. p. 413. & 414. ex uno *Angelo Roccha* duos videtur facere, unum *Angelum Rochensem*, alterum *Franciscum Rocha*, p. 309. *Pertruchii chronicon Portense.* (von der Schuel Pforte) ad Salam habuit pro Commentario describente *Port* in regno Neapolitano. Transeo reliqua. Commentatorum in S. Scriptura Elenchus habetur p. 9. elegantissimumque hunc servat ordinem: *Commentarii in S. Scripturam, Paraphrases & catenæ, Paraphrases Chaldaicæ & Hebræorum Commentarii* p. 9. *Græcorum in Scripturam S. Commentarii in Vet. Test.* p. 11. *in Nov. Test.* p. 12. *Latinorum ad seculum octavum Commentarii in Vet. Test.*

&

*& Nov. Test.* p. 13. *Latinorum seculo octavo in S. Scripturam Commentarii in Vet. Test. & Nov. Test.* p. 15. *recentiores in Scripturam S. Commentatores orthodoxi in Vet. Test.* p. 15. 16. 17. 18. *recentiores orthodoxi in Nov. Test.* a p. 19. 21.

Jungendus hujus Bibliothecæ *Joh. Gualteri* Cardinalis Sluſii Leodicenſis *Catalogus*, labore ac ſtudio *Franciſci de Seine* Pariſienſis, digeſtus, & Romæ Anno 1690. editus, qvi ab *Indice Biblico & Comment. in S. Scripturam*, ad ordinem elementorum diſpoſito, auſpicium capit.

Idem circa collectionem Scripturæ Commentatorum ſtudium adhibuerunt *Bibliothecæ Telleriana* Autores ſeu Catalogi Bibliothecæ *Mauritii le Tellier*, Archiepiſcopi Ducis Remenſis, Anno 1693. Pariſiis typis exſcripti. Multa certe in hoc genere illis debemus Indicibus, qvi, qvamvis locupletiores ipſis Bibliothecis eſſe non potuerunt, plurimorum tamen ſuggerunt notitiam, qvorum memoria ſine illis nos fugiſſet.

XI. *Cœleſtinus a Monte Marſauno*, provinciæ Aqvitaniæ Concionator Capuzinus, copioſum eqvidem dedit *Commentatorum in S. Script. Indicem*, qviqve integrum librum V. *Clavis Davidica Arcanorum Scripturæ S. Lugd. 1659. fol.* abſolvit. At & in hac copia inſignem deprehendas inopiam, omnes enim, qvicunqve a ſeculi ſuperioris qvinqvageſimo anno ſcripſerunt, usqve ad annum editionis ſuæ, 1659. pertinaci præterit ſilentio, ſtolido hoc argumento, ceu fatetur in præf. adductus: *Cunctos, qvi hac novissima annorum Centuria vidêl: a sec. præcedentis Ao. 50. prodierunt Interpretes; omisi, non qvod eos judicarem minus utiles, sed qvia pene innumeri*

*meri sunt, passimque notæ, ac pro diverso cujusque sensu ac gustu hac tempestate variè accepti. Quod vel solum ab immensa illa recentiorum expositorum enumeratione jure me vindicat, ne quis, si magis sibi probatos præterirem, minoris me de ipsis existimationis, aut si minus ipsi acceptos, alicujus ergo illis adulationis, insimularet. Antiquiorum ergo, quibus vix ullus succenseat, recensione ero contentus.* Sed, neque antiquorum etiam Catalogus accurationis meretur laudem cum Sixtinianos, ceu ipse etiam Autor præf. dicta fatetur, erret errores.

XII. Jam ordo nos deducit ad celeberrimum nomen *Richardi Simonis*, qui in isto scribendi genere omnes Romanæ Ecclesiæ scriptores, & judicio suo & eruditione, facile antevertit. Hic congregationis oratoriæ (quam in honorem precum CHRISTI, Anno 1613. Parisiis *Petrus Berullus*, instituit, ejusque historiam ipse *Simon* in *vita Joh. Morini*, ejusdem Congregationis Presbyteri, suppresso nomine suo scripsit) pridem Presbyter, sed ante annos complures ob nimiam scribendi licentiam illa ejectus, præter alia complura scripta doctissima veritatis studium non obscure testantia, sub nomine, *Hieronymi a Costa Domini de Monii* aliisque ἀνωνύμως, it. & addito suo nomine edita, non dubitavit etiam sermone Gallico *Historiam Criticam S. Scripturæ* in lucem emittere, in qua eruditio quidem & industria plane singularis, ordo selectus & judicium undequaque spectatum, plurima vero occurrunt, quibus piæ aures merito offenduntur. Hujus priorem partem, quæ libris tribus *historiam Criticam veteris instrumenti* absolvit primum in lucem pro-

prodire passus est Paris. Anno 1680. sub titulo: *Historiæ religionis Judæorumqve demigrationis in Hispaniam aliasqve Europæ partes per Rabbi Mosen Levi.* Vix vero typographeo exierat, cum omnia exemplaria suppressa sunt, ut nec Parisiis facile unum eorum obvium esset, ceu constat ex limine *Epist. Ezechielis Spanhemii*, qvam super historia ista edidit. Impediri tamen minime potuit, ut non unum alterumve exemplar in Belgium deferretur, ubi statim, non tantum Gallice recusus, sed & Autore *Nathanaële Alberto de Verse*, Theol. & Medic. Doctore, Latine redditus, ab eoqve tempore sæpius repetita illius libri editio, Anglice etiam translatum constat, Anno 1685. septima jam vice prodiit, præfationem & Notas adjectas habent Authore larvato, *Petro Ambruno*, qvi tametsi Protestantem Theologum se fingit, haud dubie tamen ipse *Simon* est, ut in *Epist. ad Justellum, Isaaci Vossio Observationibus* subjecta, probe observavit *Paulus Colomesius*. Adversarios expertus idem liber & est multos & illustres, inter qvos *Ezechiel. Spanhemium, Carolum Marcam de Veil, Isaacum Vossium, Joh. Clericum, Jacobum Basnagium, Matthiam Honkampff, Paulum Colomesium, Joh. Benedict. Carpzovium*, nominare sufficiat. Opus autem ab autore ita institutum est, ut *Lib. I. Historia librorum sacrorum V. T. & Philologiæ Hebraicæ fuse tradatur, in secundo accuratæ exhibeatur notitia & censura præstantiorum versionum antiqvi fœderis, tum veterum, tum recentiorum, in tertio denique eximii qviqve Commentatores in libros veteris Instrumenti* examinentur, *seu e priscis Ecclesiæ Doctoribus, seu e recentioribus fuerint.* Eadem methodo postea usus est in tribus, qvæ interjecto tempore separat im



Digitized by Google

Gallice vulgavit voluminibus *Historiæ Criticæ Nov. T.* nisi, qvod in horum tertio majorem, qvam in Critica Vet. Test. probavit industriam, accurate enim de plerisqve omnibus Græcis & Latinis, antqvis pariter, atqve hodiernis, Anti-Trinitariis qvoqve egit, qvi aliqvod nomen libros Nov. Test. explanando sibi conciliarunt, tametsi dolendum sit, eum nusqvam minus, qvam in Nostratibus recensendis fuisse diligentem.

XIII. *Johannes Mabillon*, Presbyter & Monachus Benedictinæ congregationis S. Mauri, Monachorum nostræ ætatis facile doctissimus, & editis *de re Diplomatica*, *Analectorum Veterum*, *Itinerarii Germanici*, & *Musei Italici*, operibus de re literaria immortaliter meritus, ingenuitatis etiam laude valde illustris, peculiari libello Monachi formavit studia; typis excripto Bruxeliis Anno 1692. 8vo. Gallice, in cujus calce *pag.* 579. *Catalogum* exhibet *optimorum librorum optimarumqve editionum*, *Bibliothecam Ecclesiasticam constituentium*, illumqve orditur *a Scripturæ editionibus & Commentatoribus*. Recensitis autem illis, qvi optimi, nulla religionis habita ratione, sibi videbantur, in hæc tandem verba *pag.* 594. desinit: *Omitto Commentarios Patrum, & plurimos alios Commentatores, qvos accurate exhibet Elenchus Scriptorum in S. Scripturam editus a Gvilielmo Crodæo* 12mo. *Lond. an.* 1672. Doleo, virum optimum atqve doctissimum in *Crodæum* incidisse, qvi parum accurationis in illo probavit Elencho, ignorantiæ autem multum. Conf. interea Præfat. nostram ad *Comment. Gerhardinum in Epist. Petrinas.*



Digitized by Google

# DISSERTATIO II.

## *Scriptores Judaei & Christianie qvibus notitia Hebræorum in Scripturam V. T. Commentatorum peti potest.*

### I.

Inter *Judæos* primus Bibliothecam scriptorum suæ gentis concinnare, inqve ea notitiam Commentariorum in libros legis & Prophetarum per Hebræos editorum posteris tradere aggressus est *Menasse Ben Israel* (natione vel Hispanus, vel Lusitanus, minime vero Belga, & patria qvidem Amstelodamensis, ceu turpiter hallucinatur *Croveus*, qvamvis Amstelodami diu vixerit, ibiqve abierit circa Annum 1659. ad plures) vis doctus & tot libris editis inqve varias lingvas translatis, etiam inter Christianos celeberrimus: At dolendum est, operi imperfecto immortuum *Menassem* illud ad umbilicum perducere non potuisse, unde a *B. Spizelio* in *Coronide Philologica arcanis Bibliothecarum retectis* subjecta *p. 383.* inter eruditi istius Judæi affecta, nec absoluta opera desiderari qvoqve videas *Bibliothecam Rabbinicam cum Argumentis, editionibus, ac super singulis judicio. Hottingerus* vero non mediocriter commendat illum, tametsi non perfectum Menasse laborem, ejusqve Apparatu manuscripto se ad concinnandam Bibliothec. Orientalem usum fuisse, cum laude commemorat.

II. Idem saxum magno conatu, sed successu non feliciore volvit Rabbi *Johannes Baptista Jonas*, ex Judæo Christianus, & in Romano Archi-Gymnasio, atque in Collegio propaganda fide, Lector. Nam & hunc simili ausu incepto, nec ad finem perducto opere satis concessisse accepimus. Vid. *Julii Bartolocci*, (de quo infra) Bibliothecam magnam Rabbinicam, *Tom. 3. f. 48.*

III. Abunde vero & luculenter jacturam librorum ab utroque ex hisce Duumviris affectorum, resarcivit ante paucos annos Rabbi *Schabtai Ben Joseph* edita utilissima copiosissimaque Bibliotheca Rabbinica, quam *Siphte Jeschenim* [s. *labia dormientium ex Cant. VII. 9.* inscripsit, elegantique & prolixa præmissa præfatione vulgari permisit, Amstel. Anno supputationis Judaicæ minoris, 441. h. e. Anno Christi 1681. Incredibilem enim diligentiam præstitit in conquirendo omni genere scriptorum, quæ unquam a Judæis edita sunt, promissa quoque & latentia non raro indicans; ac ne quid accuratæ copiæ deesset, non tantum multiplici suscepto itinere omnes fere Synagogas, præstantissimorumque Bibliothecas Rabbinorum perreptavit, atque excussit; sed nec Christianos reliquit inconsultos, uti laudata ab eo *Buxtorffii*, *Hottingeri*, *Plantavitii*, & *Bartoloccii*, nomina, de quibus mox dicturi sumus, indicant. Cum porro Rabbi iste opus suum diviserit in quatuor partes, *Part. I. c. 2. ab eo dicatum est enarrandis literalibus & Cabbalisticis Commentar. in libros* V. T. quos Hebræi unquam usquam ediderunt, indicatis simul, (uti per totum librum,) titulis, autoribus, & editionibus. Equidem non dubitamus, Clariss.

rill. *Christianorum Wormium*, magno sibi beneficio obstricturum eos, qvi Rabbinismi minus periti sunt, cum tam insignis libri Latinam versionem, qvam nuper promisit, molitiqve se professus est publice ediderit. Natillius qvidem translationis spes, qvam Autoris ipsius cura Amstelod. elaborandam pridem innuerunt doctissimi *Actorum Lipsiensium* collectores, *Ao. 82. p. 204.* jam decollasse videtur.

IV. *Julium Conradum Ottonem*, ex Judæo Christianum Academiæqve Altorffinæ Professorem, sed qvi postea ad pristinum rediit vomitum, vix commemorare, operæ est pretium, etsi ille qvoqve in libro plurimis commentis referto, qvem *Gali Razia s. occultorum detectionem* inscriptum Altorff. Anno 1605. Stetini 1613. vulgavit, etsi inqvam, ille in qvarta etiam parte ejus libri Rabbinos, eorumqve scripta recenseat. Parum enim ex isto opere ad nostri argumenti cognitionem proficient studiosi, qvod in cæteris qvoqve pro insulsissimo non absre habet Magnus *Wagenseilius* Telorum igneorum Satanæ *p. 196.* Subjungamus Wagenseilii nostri judicium, qvo sibi a stupidi hominis opere caveant nostri: *Infamis nebulo & propudium Academiæ nostræ Julius Conradus Otto, qvi a Judaicis sordibus per baptismum repurgatus, paulo post ad vetus volutabrum rediit, hactenus qvidem recte in præfatione insulsissimi libri Gali Razia testatur: „Pauci ssimi Hebræi Hebraicam „ lingvam, nedum Talmud, vel alios Rabbinarum libros in„ telligunt, sed ut bruta in diem vivunt, &c. &c. potuit ho„ mo neqvam ex vero ista affirmare. Nam si qvis alius ipse ex eorum, qvos descripsit, erat numero.* Adde eundem Wagenseil. Comment. in Sotam. *p. 131. seqq.* V.

V. Inter edita scripta, qvibus Christiani Rabbinis Rabbinorumqve scriptis enarrandis operam suam addixere, nemo occurrit ante *Conradum Gesnerum*, qvi hoc facere, pro captu illorum temporum annisus est, *tit. 21. Lib. I. Pandectarum* qvo de opere, uti & de *Gesnero* ipso Germanorum Varrone atqve Plinio plura dicemus cum in singulari classe recensebimus illos, qvi e Reformatorum numero Elenchos Commentariorum in S. Scripturam ediderunt.

VI. De *Sixto Senensi*, ejusqve *Bibliotheca Sancta* egimus in Dissert. qvæ Catalogum Scriptorum Pontificiorum in S. Scripturam exhibet *pag. 3.* Nunc addimus eundem Sixtum *Libr. IV. pag. 391. seqq.* præter Catalogum Commentatorum Christianorum ante dictum, inseruisse qvoqve *Elenchum Alphabeticum, expositorum Hebræorum, & Rabbinorum, qvi Judaica lingua & juxta Hebraicas traditiones divinas literas exposuerunt.* Non mediocriter celebratur labor ille a *Cœlestino à Monte Marsenno*, & profecto eximius est, si ætatem, qva scriptus fuit, consideres, tametsi non usqve adeo prolixus.

VII. Sequitur *D. Johannes Molderus*, seu ut alibi scribitur, *Moltherus*, Battimontanus Hassus, Theol. & Heb. Lingvæ in Acad. Marburg. Prof. atqve inter illos, qvi bella Domini adversus Judæos feliciter gesserunt, non incelebris. Hic, *malleo obstinationis Judaicæ*, qvem librum Anno 1600. Franck. 8 duodecim ante obitum annis edidit, subjecit etiam *Catalogum præcipuorum Judaicæ Gentis Doctorum*, ex qvo si & *Theodori Eberti*, Prof. in Acad. ad Oderam Franck. *Chronologiam succin-*

Digitized by Google

*ſuccinctum præcipuorum ſanctioris linguæ Doctorum*, Franck Anno 1620.80. vulgatam addas, non leve peti poteſt ſubſidium.

VIII. *Antonium* etiam *Poſſevinum* in Apparatu ſacro, *Petrum* itidem *Beſodnerum*, qvi auſpiciis *Chriſtophori Pelargi*, Bibliothecam Theologicam edidit, Franckofurt. Anno 1608. cum fructu conſulere poſſumus. Qvorum ille inter ſcriptores alios, qvos alphabeti ordine enarrat, paſſim qvoqve meminit Rabbinorum, qvi in S. Scripturam ſcripſerunt, & iſte cæteris in ſingulos libros V. T. Commentatoribus ſemper præmittit, qvotqvot eidem operæ vacaſſe noverat ex Judæis.

IX. Summo jure autem, nec, niſi cum magna laudis præfatione memorandus nobis eſt vir Hebraice ad miraculum eruditus, & cum de univerſa literatura Judaica tum de iſto etiam notitiæ autorum Judaicorum ſtudio præclare meritus *Joh. Buxtorffius*, pater, cujus Bibliotheca Rabbinica cum Talmudis recenſione, & libro de Abbreviaturis Hebraicis Baſileæ primum, A. 1613. deinde a filio patris A. 1629. in profeſſione, cum vix ſeptendecim natus, eſſet annos, ſucceſſore (vide *vitam Lightfooti* ejus operibus præmiſſam,) *maximi parentis ſpei majoris filios*, (judicio D. Caſtelli) multum auctior Anno 1640. in eadem urbe prodiit. In hoc libro cum alphabeti ſeries ſervetur, illi ſcriptores Judæi, qvi ſacros libros antiqvi fœderis illuſtrarunt, non junctim, ſed ſparſim ſuo qvisqve loco nominati, requirendi, ſunt a nobis ad librorum Biblicorum ordinem alia occaſione revocandi.

X. Qvadrienio poſt alteram Buxtorffianæ Bi-

bliothecæ editionem *Joh. Plantavitius de la Pauſe*, Gallus ex Apoſtata miniſtro Reformato Epiſcopus Lodovenſis, in lucem emiſit Florilegium Rabbinicum, cui ſubjecit Bibliothecam ſcriptorum Rabbinicorum editorum & manuſcriptorum Lodovii Anno 1644. in fol. in hac autor ſimiliter, uti Buxtorffius per alphabeti ordinem decurrens, ſcriptores Judæos recenſet, eoqve copioſior eſt, etſi tam in Bibliotheca, qvam in Florilegio non mediocriter ipſi ſit adjutus, cum magna Plantavitiani operis pars Buxtorffianis conſtet obſervationibus, ut collatio oſtendit. In hac qvoqve Bibliotheca Commentatores Judæi in ſcripturam paſſim ſuo qvisqve loco ſunt inveſtigandi.

XI. *Joh.* vero *Henricus Hottingerus*, qvi Anno 1658. Heidelbergæ 4o. edidit *Bibliothecam Orientalem* in ejus *Cap. I.* libros ab Hebraicis Doctoribus editas diſtincte & aſſignata unicuiqve generi certa claſſe recenſet, qvare illo in libro præterqvam, qvod non pauci *Buxtorffio*, *Plantavitio*, ex *Legeri*, *Menaſſe Ben Iſrael*, & propria Autoris induſtria acceſſerunt, hoc qvoqve eſt commodi, qvod junctim ibi, unoqve in loco recenſentur, qvotqvot exponendis libris ſacris, legis vel Prophetarum nomen ſibi inter Judæos acqviſivere. In ſeqventibus capitibus Hottingerianæ iſtius Bibliothecæ ſcripta Arabica, Syriaca, Chaldaica, eaqve non minore diligentia, & ſimiliter digeſta in claſſes enarrantur.

XII. Anno, poſtqvam Hottingeri liber Heidelbergæ prodierat *Cæleſtinus a Monte Marſanno*, Capuzinus, ſupra nobis adductus Lugd. fol. *clavem Davidis* edidit, in cujus

cujus libro 5. exhibet Elenchum Hebræorum expoſitorum ſ. Rabbinorum qvi V. T. explanarunt, ejusve intelligentiæ inſerviunt.

XIII. *Nicolaus* etiam *Antonius*, cujus cum laude alibi jam facta mentio, inter alia induſtriam ſuam probavit in recenſendis ſcriptis Judæorum Hiſpanorum, qvorum inter Interpretes Scripturæ S. non exigua eſt gloria & auctoritas.

XIV. Ab eo tempore *Richardus Simon*, qvem ſimiliter diſſertat. ante citata attigimus, *Hiſtoriæ Criticæ V. T. An. 1680.* primum editæ, ſubjecit *notitiam auctorum præcipuorum Judæorum, tam ſcripturæ Interpretum, qvam aliorum*, de qvibus in Hiſtoria egerat, qvosve revocaverat ſub examen, (nam *in Lib. III. Cap. V.* etiam judicium fert de Judæorum Commentatoribus in libros V. T.) vel qvorum ſcriptis ad eam concinnandam fuerat uſus. Non mediocriter utilis eſt iſta Simonis notitia, qvia ſubinde de editionibus, utra melior, & de auctoribus ipſis judicium addidit.

XV. Anno 1681. primum lucem adſpexit *Enchiridion Biblicum Joh. Henr. Heideggeri*, de qvo, alias pluribus erit nobis dicendum. Jam ſufficiat annotaſſe poſt ſingulorum librorum analyſin in hoc libro præter Chriſtianos Commentatores Judæorum qvoqve mentionem fieri, eosqve, ſatis copioſe recenſeri, ad unum qvodqve V. T. volumen.

XVI. Reliqvum eſt, ut de *Julii Bartoloccii* ſplendido vaſtoqve opere dicamus. Hic enim congregationis S. Bernhardi, ordinis Ciſtertienſis Romæ in monaſterio S. Prudentianæ Abbas, magno apparatu ingentem

doctamqve enarrationem ſcriptorem Judaicorum *Bibliothecam Rabbinicam* locupletiſſimam cœpit in lucem emittere, qvatuor in fol. conſtantem tomis, qvorum primus Romæ Anno 1675. alter Anno 1678. tertius Anno 1683. qvartus deniqve auctore labori immortuo, & *Carolo Joſepho Imbonato*, qvæ deerant, ſupplente prodiit Anno 1693. Diligentia & accuratio Bartoloccii merito ſuo virorum doctorum ut Clariſ. *Wagenſeilii Variarum exercitationum p. 161. Beati Morhoffi Polyhiſtor. p. 49.* aliorumqve laudem meruit, viſus tamem eſt bene longe longiusqve petitis digreſſionibus non raro tam præter rem augere molem libri, qvam fatigare lectorem. Cæterum magno numero ſcriptores Judæi tam editi, qvam inediti, & in veriis Bibliothecis, Vaticana præſertim manuſcripti exſtantes, ab eo ſerie alphabetica digeruntur, de eorumqve ætate, ſcriptis, ſcribendi genere, de ſcriptorum argumento, accurate, fuſeqve diſſeritur. Ab *Imbonato*, qvi poſtremum volumen ad umbilicum perduxit, totiqve operi colophonem impoſuit noviſſime etiam, ut hoc obiter notemus, Romæ Anno 1694. fol. vulgata eſt *Bibliotheca Latino Hebraica* ſ. de ſcriptoribus Latinis, qvi contra Judæos vel de re Hebraica ſcripſerunt.

## COROLLARIA.

*I. Mediatorem noſtrum ſemet ipſum reſuſcitaſſe & reſuſcitatum eſſe à DEO Patre, hæc inter ſe non pugnant.*

*II. Brutaolim reſurrecturæ eſſe negamus.*

*III. Mors piorum beneficium recte dicitur.*

DISS. III.

Digitized by Google

# DISSERTATIO III.

## *Reformatos atque Lutheranos Scriptores, qui Commentatores in Scripturam collegerunt, tradens.*

## CAP. I.

### De Reformatis, *qui laborem, Commentatores in Scripturam recensendi, ante nos in se susceperunt; Sunt autem illi*

*I. Conradus Gesnerus.*
*II. Thomas Jamesius.*
*III. Gisbertus Voetius.*
*IV. Joh. Henr. Hottingerus.*
*V. Gerhardus Meierus.*
*VI. Joh. Heinr. Heideggerus.*
*VII. Gvilielm. Crovius,*

Seqvitur *Appendix de Scriptoribus Anglis*, qvos speciatim enarrant præter *Hottingerum*, *Venerabiles*, ejusqve continuator Anonymus. *Martinius Rempius*, *Joh. Heinricus Heideggerus.*

### I.

IN hac serie principem locum sibi iterum vendicat *Conradus Gesnerus*, Tigurinus, vir laboriosissimus & Scriptorum multitudine pariter atqve utilitate immortale nomen assecutus, qvi pestis veneno extinctus An. 1565. Ætatis suæ 49. obiit. Nondum ille qvinqvagenarius plura qvam 70. præclara volumina, Physica, Medica, Philologica, cum a se ipso elaborata edi-

 dit,

dit tum ab aliis pridē conſcripta e tenebris protraxit, e Græcis Latine vertit, luci priſtinæ reſtituit, qvorum Catalogum habes ab ipſo *Geſnero* accuratè confectum *in Epiſt. de libris a ſe editis*, ſubjecta ejus *vitæ* conſcriptæ per *Joſiam Simlerum*, *Anno 1566. 4to.* Inter hæc ſcripta ſua Polygraphus ille duo inprimis præſtantiſſima, luceqve & admiratione digniſſima opera poſt ſe reliqvit, qvorum alterum inſcribitur *Bibliotheca univerſalis*, ſeu *Catalogus Alphabéticus omnium ſcriptorum in tribus linguis, Latina, Græca, & Hebraica, exſtantium & non exſtantium, & veterum & recentium, excuſorum & in Bibliothecis latentium, usqve ad annum Domini, 1545.* (in Epiſt. Geſneri de Scriptis a ſe editis, *pag. 23.* perperam excuſam eſt 1565.) In urbe Tigurina prodiit, Anno 1545. fol. qvo in volumine non tantum autorum nominibus, ſcriptorum enumeratio locusqve & annus impreſſionis ac ſimilia ſubjiciuntur, ſed paſſim qvoqve lector monetur de argumento librorum, & qvodnam de illis judicium ferant eruditi, unde eo nomine præferendum eſt hoc Geſnerianum opus *Epitomatoribus*, in qvibus plura qvidem Autorum librorumqve nomina acceſſerunt, argumenta autem librorū, qvæqve de iis alia Geſnerus obſervaverat, prorſus omiſſa ſunt. Cum vero *Antonius Verdericus*, *Conradus Lycoſthenes*, *Joh. Jac. Friſius*, *Joſias Simlerus*, aliiqve certatim cogitarint de Bibliotheca Geſneriana contrahenda & locupletanda, operæ pretium eſt annotaſſe, inter Epitomas, qvæ ſimul locupletiſſimas acceſſiones promittunt, præſtare reliqvisqve præferendam eſſe *Friſio Simlerianam*, A. 1583. fol. cui proxima eſt illa Anni 1574. fol.

Cum

Cum in hoc opere ſolam in autoribus ſeriem literarum, nullum vero argumentorum ordinem GESNERUS obſervaſſet, unde Commentatores qvoqve in Scripturam magno numero ab eo nominati, ſed ſparſim ſuo ſinguli loco inveſtigandi erant, ne ulla ex parte lectorum utilitati deeſſe videretur, alterum qvoqve opus aut ſi mavis alteram Bibl. partem vulgavit, ſub nomine *Pandectarum*, ſeu *partitionum univerſalium*. Anno 1548. fol. Qvibus in pandectis nomina Scriptorum, librorumqve tituli qvotqvot in Bibliotheca ſecundum Alphabeti ſeriem exhibita fuerant, in diſtinctas *claſſes* digeſta, & ſub iſtis claſſibus per certos *locos communes* facili methodo diſpoſita leguntur, niſi qvod *vigeſima claſſis*, qvæ Medicis deſtinata erat, ab Autore non fuit abſoluta, adeoqve prætermiſſa. Ultima vero ſive *prima & vigeſima* tributa eſt Theologiæ atqve adeo præter Indicem aliorum omnis generis argumenti Theologici ſcriptorum continet qvoqve *Elenchum Commentatorum*, qvi in Scripturam, vel integram, vel ſingulos ejus libros librorumve partes, hactenus aliqvid ſcripſerant, & Geſnero innotuerant, ſeu ex priſcis, ſeu ex recentioribus, tam Judæis, de qvibus alia diſſertatione jam egimus, qvam Chriſtianis. Nemo autem non intelligit, tametſi accuratiſſime atqve diligentiſſime in hoc ſcribendi genere verſatum dicamus Geſnerum, cum ab ejus Pandectarum editione integrum fere ſesqviſeculum affluxerit, qvantum ejus laboribus a noſtra debeat induſtria accedere.

*II. Tho-*

II. *Thomas Jamesius* Anglus, & Proto Bibliothecarius Bodlejanus post Subdecanus Wellensis (qvo de videsis *Anton. Wood. p. 2. Acad. Oxon. & Popeblount p. 662.*) Vir prorsus insignis Anno 1629. vita functus *Vindiciis Gregorianis: Bello Papali, Tractatu Anglico de Pontificiorum mala fide in corrumpendis scriptura, Conciliis, Patribus*, aliiqve scriptis celeberrimus, in *Catalogo* ejus, cui præfuit *Bibliothecæ* distincte qvoqve & seperatim rationem habuit interpretum S. Scripturæ singulorumqve ejus librorum, prodiit Londini, Ao. 1620. 4to. Abeo tempore *Thomas Hyde* ampliorum ejusdem Thesauri librarii multum locupletati *Catalogum* edidit Oxonii, An. 1674. fol. At enim in isto juxta Alphabeti ordinem nomina Autorum collocata, non juxta argumentorum classes dispositos libros memini.

III. *Gisbertum Voetium*, Theologum Ultrajectinum, doctrinæ Calvini accerrimum ac vehementissimum assertorem, qvi cum ætatis annum octuagesimum septimum attigisset Anno 1676. obiit, præter alia Theol. scripta Ascetica atqve Polemica, *Bibliothecam* qvoqve *Studiosæ Theologiæ*, seu *de ratione instituendi studium Theol.* adjecto apparatu, ad illud necessario, edidisse constat. Prodiit libellus ille primum Ultraj. Anno 1644. 12o. auctior postmodum ib. Anno 1651. & Lipsi. Anno 1688. In ejus scripti *Lib. 2. p. 523. seqq.* post laudatum *Jamesii* Catalogum exhibet brevem Elenchum Scriptorum in libros Scripturæ qvos putat esse necessarios; reliqvisqve præstare, sed meros fere Reformatos nominat. Nolim qvoqve nostros lateat

*Job.*

Digitized by Google

*Joh. Andreæ Bosii*, Viri Clariss. judicium de hoc Voëtiano libello, Introductionis in notitiam Scriptorum Ecclesiasticorum *Cap. 2. §. 14. p. 29. In Voëtii Bibliotheca Studiosi Theol. haud paucos, in his qvosdam pudendos errores animadvertas, satisqve apparet multos qvos laudat, ab eo aut plane non visos, aut non satis fuisse inspectos: qvibusdam & plane aliena argumenta afficta.*

IV. *Joh. Heinr. Hottingerus*, Tigurinus, literaturæ omnis Orientalis præcipue callentissimus, atqve indefessæ vir industriæ, Academiæ, Heidelberg. & patriæ singulare decus, Leidensi qvoqve non mediocrem splendorem super additurus, nisi Anno 1667. eo ad Primariam Professionem Theol. in pauco s tamen annos properantem, acerba fata in Limago fluvio intercepissent, aqvisqve infaustis submersissent. Hic vir insignis atqve præstantissimus istud etiam scribendi genus, de qvo nunc agimus attigit in *Bibliothecario qvadripartito*, vulgato Tiguri, An. 1664. 4to. (de cujus libri œconomia consule Collegam olim nostrum *B. Morhoff. Part. I. Polyhist. p. 190. seqq.*) Nam, præterqvam, qvod Anglorum scripta, qvibus libros Biblicos illustrarunt, ordine & diligenter enarravit, ut paulo post dicemus, tres insuper Elenchus ejusmodi Bibliothecario suo inseruit, qvorum primo *p. 182. seqq.* 2dum seriem librorum Biblicorum recensentur nomina *veterum Doctorum Ecclesiæ*, qvi eosdem Commentariis exposuere, secundo, *p. 184. seqq.* ejus in fide socii *Reformati* ex *Voëtio* maximam partem, ac paucis admodum e *nostrorum* numero adjectis: tertio deniqve *p. 185. seqq. Pontificii.* Qvod tam paucos autem enume-

rat, facile apparet, Hottingerum, non qvos novit universos, sed selectos qvosdam duntaxat nominare voluisse.

V. *Gerhardus Meierus*, Bremensis Theologus, Vir certe Doctissimus felicissimus etiam incomparabilium filiorum genitor, non ita pridem defunctus, in *Bibliotheca* suæ *Theol. contracta Lib. II. Cap. III.* selectos qvosdam Scriptores in singulos libros Biblicos commendat, prodiit libellus Bremæ, Anno 1660. 12mo.

VI. *Johannes Heinr. Heideggerus*, Theologus Tigurinus, *Histor. Patriarcharum*, variisqve scriptis Theol. Polemicis, Anti-Papisticis præsertim, celebris, in *Enchiridio Biblico* sive *Hiero-Mnemonico*, libro utilissimo, qvi Tiguri primum, Anno 1681. lucem aspexit, sæpiusqve ab eo tempore etiam in Belgio recusus est, post singularem sacrorum librorum Historiam & Analysin subjicit distinctam enumerationem *Patrum*, *Reformatorum*, *Anglorum*, *Nostratium*, seu *Augustanorum*, ut appellat, & *Pontificiorum*, qvi librum illum vel Commentariis sunt, vel annotationibus interpretati. Idem ad libros V. T. commemorat qvoqve *Judæos*, ut videatur unus utilissimam hactenus locupletissimamqve, in isto genere operam nobis navasse. Sunt tamen forte aliqva, qvæ jure in ipso desideres, uti, qvod cognomina tantum non etiam prænomina adscribit, & qvod nonnunqvam omittit præstantissimos nominatis iis, qvi pridem interciderunt, uti inter Interpretes Danielis, prætermisso *Hieronymo*, *Apollinarium*, *Julium Afrum*, aliosqve nunqvam ut puto, a qvoqvam nostra ætate visos commemoravit. Lapsus etiam nonnun-

numqvam est in assignanda Scriptoribus classe, veteresqve Ecclesiæ doctores venditando pro recentioribus Pontificiis, qvemadmodum inter interpretes libri *Sapientiæ* Pontificios refert *Bellatorem Presbyterum*, cujus Commentarius *Cassiodoro* pridem memoratus, periit, habuitqve autorem non nuperæ religionis Pontificiæ hominem, sed antiqvum ante mille amplius annos celebratissimum Doctorem Ecclesiæ.

VII. Restat ut dicamus de *Gvil. Grovæo*, Britanno, Croydoniensi Ludimagistro, qvi *Heideggero* prior, sed magore impetu atqve apparatu, aliaqve methodo in hoc scribendi genere versatus est, emisso in lucem *Elencho Scriptorum in Scripturam tam Græcorum, qvam Latinorum, in qvo exhibentur eorum genus, patria, professio, religio, librorum tituli, volumina, editiones variæ, qvo tempore claruerint, vel obierint, elogia item aliqvot virorum clarissimorum, qvibus omnibus præmissa sunt S. Biblia partesqve Bibliorum variis linguis, variis locis edita Lond. 1672. 8vo.* In hoc Elencho Autores, qvi aliqvid vel Græca, vel Latina lingva seu ex antiqvis, seu ex recentibus Scriptoribus in S. Literas ediderunt, satis copiose recensentur, ordine Alphabeti, subjectis post eorum nomina librorum titulis, formæ, editionum, loci & temporis notatione. In calce deniqve additur Index, docens, qvi libri Scripturæ, a qvibus illustrati sint Autoribus. Qvanqvam vero in libro ipso addita sit Autoris cujusqve professio religionis, in Indice tamen promiscue positi sunt, ut nec veteres a recentibus qvidem ulla sint nota distincti aut separati. Cæterum liber iste, etsi non levem industriam laboremqve

teſtetur Autor, neqve methodus aſpernanda eſſe videatur, minime tamen meretur accurationis elogium, qvod ei tribuit *Mabillonius*, longeqve verius eſt *Richardus Simonis* judicium, qvi *Lib. III. Hiſt. Crit. pag. 125. edit. Lat.* nomine Autoris præterito illum perſtringit, *plerumqve accuratum eſſe* affirmat. Certe innumeris magnisqve erroribus, qvorũ nonnullos ante aliqvot annos indicavimus, *præfat. in B. Gerhard. Comment. ad Epiſt.* utramqve Petri Apoſt. e.gr. ex illuſtri *Coccejo* duos facit homines, *Johannem Coch*, Bremenſem, & *Joh. Coccejum* Profeſſ. Franeckeranum, *p. 203. 204. Johannem* vero *Crocium* & *Ludov. Crocium*, illum Profeſſorem Marpurgenſem, hunc Bremenſem, pro uno eodemqve habet & homine qvidem Lutherano *pag. 205. & 254.* Poſſis affirmare, vix paginam occurrere, in qvaſi non errores craſſi, certe hallucinationes Autoris incautum fallant lectorem. Qvia vero Scriptores ad ſingulos Libros Biblicos ſpeciatim enarraturi paſſim lapſus Crovæi annotabimus, non erimus jam in colligendis παροράμασι longiores. Unum duntaxat animadvertemus, qvod occurrit *p. 89.* ubi *Conſtantino P. Empereur* celeberrimo illi Ebraicarum literarum Doctori Leidenſi hos tribuit libros.

*Ejus refutatio & verſio textus Eſaiæ Prophetæ nova, ac Paraphraſis in Comment. R. Iſaac Abarbanelis.*

*Ejusdem verſio Danielis cum Annotationibus in Paraphraſin Joſephi Jachiados, alias, Aben Jechiæ. Edidit Jachiaden in Evangelium.*

In

Digitized by Google

In qvibus profecto parum sani. Pro his enim scribendum fuisset.

*Isaac Abarbenelis & R. Mosis Alschech Commentarius in Esaiæ LIII. cum refutatione eorundem & nova versione ac Paraphrasi illius Capitis Lugdun. Batav. 1631. 8vo.*

*Josephi Jachiados Paraphrasis in Danielem cum versione & notis. Amstelod. 1633. 4to.*

Nempe freqvens est Crowæo cœlum terræ miscere, duos autores diversos, diversa opera confundere, vicissim ex uno facere duos, commemorare nunqvam edita nec edenda, vel ἀλλότρια plane, in notanda autorum religione peccare, & qvi similes errores in tali Scripto possunt, occurere, Lectoribusqve non satis peritis imponere. Qvæ vel ideo jam notamus, ut qvi his nundinis Francofurtensibus in Catalogo novam Crowæi editionem nobis promiserunt, de ipsius emendatione qvam maxime laborent.

## *Appendix de Scriptoribus Anglis.*

### Num. 1.

Qvoniam Anglia inprimis ferax fuit felicium ingeniorum, doctissimorumqve hominum, qvi cum Latino, tum etiam vernaculo idiomate bonam & insignem operam illustrandis S. Literis impenderunt, operæ pretium putavit *Joh. Heinr. Hottingerus*, in Bibliothecario qvadripartito, de qvo jam diximus, singulare

gulare ſtudium ſcriptis Theologicis Anglicæ gentis, recenſendis adhibere. Atqve adeo *pag. 60. ſeqq.* illos qvoqve Scriptores Anglos, qvi vel Latine, vel Anglice, in Scripturam ejusve partem aliqvam commentati ſunt, ſigillatim ad ordinem Librorum Sacrorum commemorare.

Num. 2. Hottingerum ſecutus, at eo longe copioſior *Martinus Kempius*, Hiſtoriographus Brandenb. in *Bibliotheca Anglorum Theologica*, edita Regiomonti, 1677. 4to. Non vero illi tantum a Kempio, juxta ſeriem Codicis Biblici enumerantur, qvotqvot ex Anglis in integros Scripturæ Libros Commentaria elucubrarunt, ſed a qvibus Capita qvoqve ſingula exponantur, & Capitum verſiculi citatis autorum paginis innuitur. Supplementum ad hanc Bibliothecam promiſit Celeberrimus Vir magnorumqve in rem literariam meritorum *Dn. Henricus Ludovicus Bentbem.* Non omittendum porro, qvod ad enumerationem expoſitorum Scripturæ attinet, pleraqve omnia pauciſſimis additis Kempium depromſiſſe ex Libro Anglico per *Vernevilium* qvendam primum inchoato, poſt locupletato ab aliis, editoqve cum hac inſcriptione: *The Catalogve of our Engliſh writers on the old and new Teſtament, either in whole or in part. Catalogus Scriptorum noſtratium Anglorum in V. & N. T. ſeu integrum, ſeu in partes Lond. 1668. 8vo.* Certe non potui ſatis mirari, nullam hujus libri a Kempio mentionem fieri, cum eum integrum in opus ſuum tranſcribere non dubitarit.

Num. 3. Deniqve *Joh.* qvoqve *Henr. Heideggerus*

*vus in Hieromnemonico* inter varias classes Commentatorum in singulos Libros Biblicos, autiqvorum & recentium peculiariter semper Anglos commemorat, eos præponens nostratibus, suisqve subjungens Reformatis.

## CAP. II.

### Exhibens *nostrates Lutheranos*, qvi in eodem scribendi genere elaborarunt.

*I. Anonymus.*
*II. Petrus Besodnerus.*
*III. Georg. Draudius.*
*IV. Paulus Bolduanus.*
*V. Michael Waltherus.*
*VI. Philipp. Heinr. Friedlieb.*
*VII. Joh. Kortemberger.*
*VIII. Dan. Springinsgut.*
*IX. Joh. Georg. Dorscheus.*
*X. Augustus Pfeifferus.*
*XI. Martinus Lippenius.*

*Appendix* de iis, qvi *Scriptores vernaculos* singulatim recensuere.

I.

Jam supereſt denique, ut ad nostros, qvos modestiæ causa ultimo posuimus loco, qvi in eodem laboris genere industriam suam probarunt, nostra deveniat, & se convertat oratio. Nihil autem memini, a nostræ Ecclesiæ sociis in hoc argumento editum, qvod qvidem dignum sit commemoratione ante *Catalogum Autorum, qvi in sacros V. & N. T. libros scripserunt* sine autoris nomine vulgatum *Witteb. Anno 1581. 8vo.* cum satis

satis pro illa ætate copiosus, diligenterqve nec sine selectu collectus sit, nihil tamen præter nuda Commentatorum ad singulos libros nomina commemorat.

II. Ab eo tempore hæc notitia expositorum Scripturæ viro doctissimo *Christoph. Pelargo* digna res visa est majore studio, curaqve. Igitur autor fuit *Petro Besodnero* Transilvano ut maturiore, magisqve deliberata industria hoc argumentum aggrederetur, aliqvidqve studiosis magis profuturum in lucem proderet. Besodnerus itaqve consilio, ductuqve Præceptoris hujus sui, ejus maxime supellectile libraria usus, concinnavit *Bibliothecam Theol. seu, Indicem Bibliorum præcipuorum, eorundemqve Interpretum Hebræorum, Græcorum & Latinorum, tam veterum, qvam recentium, incertas classes ita digestorum, ut primo intuitu apparere possit, qvi in numero Rabbinorum, Patrum, Lutheranorum, Pontificiorum, aut Zwinglio-Calvinianorum contineantur.* Francofurt. 1608. 4to. In hoc libro non neglguntur, qvi etiam partes duntaxat aliqvas librorum sacrorum sunt interpretati. Annotatus etiam plerumqve annus & locus editionum; ita deniqve est comparatus, ut nec copiam nec accurationem, (paucis qvibusdam exceptis, inter Patres enim passim enumerat, qvi non exstant uti Commentatoribus in *Threnos* accensetur *Hegesippum*, interpretibus *Danielis Apollinarium*, qvem etiam ait cum judicio legendum esse) tunc temporis studiosis lector in eo potuerit desiderare.

III. *Georg. Draudius in Bibliotheca Classica*, qvæ Francof. primum An. 1611. 4to. deinde auctior ibid. Ar-

Digitized by Google

An. 1642. edita est, non hoc qvidem egit, ut Commentatores in Libros Biblicos plenè & accurate enumeraret; animus enim ipsi erat, omne genus Scriptorum Græcorum, Latinorumqve proximis retro qvinqvaginta circiter annis editorum persequi, digestum ad certos titulos, qvos Alphabeti serie disposuit. Cæterum scripta Theol. recentium distinxit pro diversitate religionis, qvam Scriptores singuli professi sunt. In ea, qvæ vel a sociis A.C. vel a Zwinglianis, vel a Pontificiis in lucem sunt emissa, etiam veteres Ecclesiæ Doctores seorsim enumerat. Sub titulis itaqve Sacrorum Scriptorum, v.c. *Esaiæ, Matthiæ, &c.* refert, qvinam intra illud, qvod dixi, temporis spatium, eosdem explanarunt, adjectis anno locoqve editionis. Non opus autem est monere, cum res perqvam vulgata sit, hanc *Draudii* Bibliothecam, utpote contextam fere ex Catalogis qvi sub auspicium nundinarum edi consveverunt, non usqve qvaqve fide dignam esse, sed freqventer lectorem fallere, qvia ex vitio his catalogis solenni, non raro pro editis venditantur libri, vel potius librorum ideæ, qvi autorum cogitationes non egressi, suppressiqve in partu lucem nunqvam aspexerunt. Conf. desideratissimi *Morhoffii Polyhist. p. 202.*

IV. *Paulus Bolduanus*, Stolpensis Pomeranus, Ecclesiastes Vessinensis præter *Bibliothecam Philosophicam*, Jen. Anno 1616. 4to. & *Historicam*, Lips. 1620. 4to. vulgavit qvoqve tertiam qvam *Theologicam* inscripsit, sive, *Elenchum scriptorum Ecclesiasticorum illustrium, Rabbinorum, Patrum, Protestantium, Calvinianorum &, Pon-*

*tificiorum, qvi in ſacros libros Biblicos V. & N. T. nec non præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita, & homilias, de tempore, ab ipſis incunabulis Eccleſiæ CHRISTI, usqve ad annum 1614. Hebraice, Græce, Latine, & Germanice ſunt commentati, ſecundum ſeriem & ordinem librorum ſacrorum, additis ubivis loco & tempore, & forma impreſſionis.* Jen. 1614. 4to. In hoc libro *Bolduanus* paſſim ſeqvitur exprimitqve, *Beſodnerum* etſi nullam ejus, qvantum mihi qvidem conſtat, mentionem faciat. Non pauca tamen illi addidit, præſertim eorum notitiam, qvi Germanico idiomate S. literas illuſtrarunt, & qvorum *Beſodnerus* nullam rationem habuit verum hujus qvoqve fidem non minus qvam *Draudii* ſollicitat *Morhoffius meus l. c.*

V. *Michael Waltherus*, Theologus Eccleſiæ noſtræ, multis meritis inclytus Anno ſuæ ætatis 69. poſt CHRISTUM natum 1662. in Domino mortuus, (vide illius elogia ap. *Spizelium* Templi Honoris *p. 265. ſeqq. Witten.* Memor. Theol. *p. 1406. Gerh. Theod. Meier*, in Memoria Theol. Helmſtad. *p. 51. ſeqq.*) præter alia varii generis exegetica & polemica ſcripta, Latino & Germanico idiomate edita vulgavit etiam opus utiliſſimum, qvod *Officinam Biblicam* inſcripſit, & veluti introductionem in ſtudium Biblicum ſtudioſis Theol. conſecravit. In ejus libri *p. 440. ſeqq.* editionis ſecundæ, ſelectos qvosdam Commentatores in ſingulos libros ſcripturæ commendat aſſidue terendos ab iis, qvi cum fructu in S. literis interpretandis verſari cupiunt.

VI. *Philippus Henr. Friedlieb*, magnam olim Academiæ noſtræ Ornamentum, (poſt Stralſundenſis Eccle-

Ecclesiæ ubi Ephori partes usqve ad noviſſima qvæ ipſi ætat. anno 60. æræ Christianæ 1663. contigerunt fideliſſime implevit) Stralſundenſis, edita *Theologia exegetica* in universum S. librorum ſyſtema, ſub finem præfationum, obſervationibus in ſingulos libros præmiſſarum ſimiliter indicat expoſitores, qvorum inprimis rationem habendam eſſe exiſtimavit.

VII. *Joh. Kœlmbergerus in Statua Mercuriali Theol.* Helmſt. Ao. 1662. 4to. vulgata, præter alios ſcriptores Theologici argumenti ordine materiarum alphabetico digeſtos, etiam commentatores in Scripturam eodem literarum ordine recenſet. Sed parum accuratus eſt, nec levibus ſcatet nævis, præterea nomina propria ita ſunt vitioſe expreſſa, ut hic liber tyronibus exiguo eſſe uſui poſſit. P. 52. ait *B. Dannhauerum* ſcripſiſſe contra *Dorſchæum*, de miraculis. P. 14. inter Commentatores Exodi refert *Hondorffii* Promtuarium exemplorum. Cætera tranſeo.

VIII. *Daniel Springinsgut, in Aurifodina Biblica*, Stralſund. 1671. 4to. emiſſa in lucem, interpretes Scripturæ diligenter recenſuiſſe dicitur, adeoqve hic a nobis merito commemorandus, etſi ejus liber ad manus noſtras hactenus non pervenerit: Titulus libri eſt: *Aurifodina Biblica, exhibens catalogum locupletiſſimum Autorum, qvi ab ipſis inde Eccleſiæ incunabulis S. Scripturæ editiones, ejusqve expoſitiones procurarunt; itemqve conſilia varia de ſtudio exegetico.*

IX. Nemini vero obſcurum eſſe poteſt, opus viri ſummi *Georgii Dorſchæi*, qvi viva qvondam Bibliotheca, ambulansqve fuit Muſeum. (Vid. præfat. noſtram

ad *Theologiam Zachariana Dorschai. Spizelii* Templum Honoris *p. 234. sqq. 411. sqq. Witte* Memor. Theol. *1346. sqq.*) non tantum Argentorati & Rostochii, sed universæ nostræ Ecclesiæ decus præter alia scripta plurima & eruditissima in suos qvoqve usus comparaverat utilissimum Indicem Scriptorum in Scripturam, qvi post beatum ipsius discessum vulgatus est sub titulo *Bibliorum numeratorum*, Francof. in fol. In eo, secundum ordinem librorum, seu codicis, indicantur loca autorũ, Patrum cumprimis & Pontificiorum, Lutheri & aliorum magno numero, qvi capitibus vel commatibus Biblicis in libris suis aliud agendo, neqve ex instituto scribendo Commentarios, lucem affuderunt. Forte optandum esset ut *Johannes Gramb sius*, qvi fœtum istum posthumum magni viri edidit. additiones suas, in qvibus majorem numeri qvam selectus rationem habuisse videtur, seorsim edidisset, vel signo qvodam addito, semper distinxisset, vel deniqve prætermisisset. Utiliter tamen hoc opus adhiberi poterit ad Patrum & Pontificiorum, tum Lutheri qvoqve & aliorum præcipuorum qvorundam ex nostris Reformatisqve virorum, loca investiganda, utpote qvæ sunt a manu ipsius *B. Dorschai.*

X. *Augustus Pfeifferus*, cujus jacturam omnes boni ac Orthodoxi dolent, inter alia *Criticam Sacram* qvoqve in lucem emisit, jam aliqvoties editam, in qva *p. 184. seqq.* indicat selectos in unumqvemqve librum Scripturæ Commentatores.

XI. *Martinus Lippenius*, Conrector Gymnasii Lubecensis, post vulgatas *Bibliothecam realem Juridicam, Erfurt.*

Digitized by Google

*furt. 1679. Medicam Francof. 1679. fol.* & *Philoſophicam ib. 1682. fol.* non dubitavit etiam *Theologicam*, ingens & arduum opus edere, in qvo autores, ſub titulis, alphabetico ordine diſpoſitis, magno ſane numero, utinam tanto ſelectu, tantaqve accuratione! enarravit. Inter illos titulos nomina qvoqve & inſcriptiones librorū Biblicorum, & ſub his Commentatores varii generis, ac idiomatis, tantaqve, qvanta nemo ante eum, exhibuit copia, nominati reperiuntur. Præterqvam vero, qvod ut dixi, parum interdum accuratus eſt, (ſufficiat in præſens ſeqvens Amici noſtri dilectiſſimi Clariſſimi *Tenzelii* teſtimonium in præfat. ad diſſertationes ſelectas: *Operæ pretium duxi, ſeriem diſputationum mearum, occaſionesqve recenſere vel ea de cauſa, qvod index Bibliothecæ Theologicæ Martini Lippenii ex me beatoqve Parente qvinqve diverſos autores fecerit.*) nullam qvoqve adhibuit diſcrimen vel ætatis vel religionis, qvod non mediocriter in ejusmodi ſcribendi genere neceſſarium eſſe, non diffitebiter.

## *Appendix de iis, qvi ſcriptores vernaculos recenſuere.*

N. I.

*Georgius Draudius*, præter Bibliothecam Claſſicam, de qva jam egimus, librorum Græce & Latine editorum, luci qvoqve expoſuit *Bibliothecam librorum Germanicorum* digeſtam in claſſes, ſcriptoresqve vernaculos in ſingula ſacra volumina eadem methodo enarrantem. *Francof. 1610. fol.*



Digitized by Google

Num. 2. *Paulum Bolduanum*, in Bibliotheca Theologica non tantum Hebræos, Græcos, ac Latinos S. literarum expositores, sed & eos, qvi Germanico idiomate idem elaborarunt, non indiligenter referre, supra monuimus. Ab eo tempore longe diligentius in hoc scribendi genere versatus est *M. Henningus Witte*, in Gymnasio Rigensi Professor, editis *Memoriis Theologorum, JCtorum, Medicorum, & Philosopherum*, item *Biographia hujus seculi* non incelebris, nam is in libro qvem *Repertorium Biblicum* inscripsit, & Anno 1680. primum, deinde longe auctius Anno 1690. Rigæ 4to edidit, non tantum Commentatores singulorum librorum S. vernaculos, sed & qvi capita singula & versus Germanica lingva illustraverint, satis copiose indicat. Omnium vero non industriam duntaxat, sed ac curationem qvoqve facile vicit.

Num. 3. *Ephraim Pratorius*, Gedanensis, *in Bibliotheca Homiletica*, qva nihil qvidem in hoc genere locupletius, vel majore cum cura elaboratum possit a qvoqvam exspectari. Prodiit liber Dantisci. An. 1690. 4to. & dimidia parte auctior, Lipsiæ 1698. 4to.

## COROLLARIA.

### I.

*Spiritus S. est DEUS.*

### II.

*Incarnatio Spiritus S. Sacris literis repugnat.*

DISS. IV.

# DISSERTATIO IV.

## AUCTORES,

*Qui perpetuos in Scripturam S. sive universam, seu plurimos ejus Libros Commentarios scripserunt, ex Pontificiorum Ordine complectens.*

I. Quare neglectis Patribus a seculo demum nono & quidam a RABANO MAURO ordiamur.
II. Ansbelmus Laudunensis, Autor glossæ interlinearis. Strabus Fuldensis autor glossæ ordinariæ.
III. Dionysius Carthusianus.
IV. Hugo de S. Victore.
V. Nicol. Lyra, Paulus Burgensis & Matthæus Dornic. s. Thornio.
VI. Biblia glossata Duacensia.
VII. Isidorus Clarius.
VIII. Johannes Benedictus.
IX. Thomas de Vio Cajetanus.
X. Thomas Malvenda.
XI. Lucas Brugensis, & Theologi Lovanienses.
XII. Antonius de Escobar & Mendoza.
XIII. Gvilielmvs Estius.
XIV. Franciscus Haræus.
XV. Jacobus Gordonius.
XVI. Johannes Mariana.
XVII. Emanuel Sa, & Petrus Lanselius.
XIIX. Joh. Stephanus Menochius.
XIX. Cornelius a Lapide.
XX. Jacobus Tirinus.
XXI. Johannes de la Haye Biblia magna & maxima.
XXII. Opus affectum Francisci Garziæ de la Valle.

N. I.

Digitized by Google

N. I.

Quamvis antiqvi Eccleſiæ Doctores, qvos ætatis & honoris cauſam *Patres* appellamus, in ſcrutandis exponendisqve S. literis, minime negligentes fuerunt, nullus tamen in omni antiqvitate occurrit, cujo Commentarii in univerſos utriusqve fœderis libros ad nos pervenerint. Itaqve *Originem*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*, *Cyrillum Alexandrinum*, *Theodoritum*, *Chryſoſtomum*, *Procopiumqve Gazæum* & ex ſeqvioris ævi Doctoribus *Iſidorum Hiſpalenſem*, *Haymonem Halberſtadienſem*, aliosqve, qvorum ſaltem in plures libros utriusqve fœderis exſtant Commentaria, rectius infra commemorabimus, cum ſingulorum ſacrorum librorum ſumus recenſituri interpretes.

Nunc a *Rabano Mauro*, (qvod nomen non patriam *Germanus* enim & *Fuldenſis* qvidem fuit, ſed Benedicti diſcipulum *Maurum*, qvo de vide ſis *Baſtide*, Congregat. Ordinis Benedictini S. Mauri, exprimit) Abbate primum Fuldenſi, poſt Moguntino Archi-Epiſcopo Viro longe doctiſſimo & ex *Bormii* elogio *fulgentiſſimo Eccleſiæ ſidere*, ſcriptore ſeculi noni, ſumendum eſt initium. Recenſet vero e *Trithemio* commentarios additis locis ubi manuſcripti adhuc lateant. *Nic. Serarius* Moguntiacar. Rerum *Lib. IV. pag. 631. 632.* ſeqventibus:

In Geneſin Libri IV.
In Exodum Libri IV.
In Numeros Libri IV.
In Leviticum Libri IV.
In Deuteronomium. Libri IV.

In

In Josuam. Libri II.
In Judicum. *MS. in Bib. Fuld.* Libri II.
In Ruth. *MS. ib.* Lib. I.
In Regum libros ad Hilduinum *MS. ibidem & in Bibl. summæ edis Mog.* Libri IV.
In Paralipomenon. *MS. Ful.* Libri IV.
In Esdram & Nehemiam Libri III.
In Tobiam Lib. I.
In Judith. *MS. apud R. & N. D. Neust. Deca. Bamb.* Libri VII.
In Hester. *MS. ib.* Lib. I.
In Job. *MS. in Bibliot. Mon. Augiensis*, Liber. I.
In Psalmos Lib. I.
In Proverbia Salomonis. *MS. Ful.* Lib. I.
In Ecclesiasten. Lib. I.
In Cantica Canticorum *MS. Ful.* Lib. I.
In Librum Sapientiæ. *MS in Bib. Mog. summæ edis. & Carth. & Spir.* Libri III.
In Ecclesiasticum. *MS. in Bib. Carth. Trevir. & ed. Paris.* Libri X.
In Esaiam Prophetam. Libri VIII.
In Jeremiam, *e qvibus tres postremi sunt in Threnos* Libri XX.
In Ezechielem. *MS. in Bib. Trevir.* Libri XX.
In Danielem. Libri III.
In 12. Prophetas Minores Libri XII.
In Maccabæorum *MS. apud citatum D. Neust. & in Mog. Pib. & Erbachensi.* Libri III.
In Evangelium Matthæi *MS. Ful.* Libri VIII.
In Evangelium Lucæ Libri III.



Digitized by Google

In Evangelium Marci Libri IV.
In Evangelium Johannis Lib. I.
In Pauli omnes Epistolas, *qvorum qvidam MS. Fuldæ* Libri XXIII.
In Epistolas Canonicas Libri VII.
In Actus Apostolorum. Lib. I.
In Apocalypsin Johannis Lib. I.

II. Seqvitur *Anshelmus Laudunensis*, ab eruditione *Scholasticus*, qvemadmodum *Fortunatus in Vita S. Dionysii* Martyris *Scholasticissimus* dictus, Decanus Ecclesiæ cathedralis patriæ (haud confundendus cum *Anshelmo Cantuariensi* & *Anshelmo Lucensi*, aliisq; hujus nominis) sub finem undecimi & initium duodecimi post Christum natum seculi floruit, & auctor esse perhibetur *glossæ* in universa Biblia *interlinearis*, qvæ cum *glossa ordinaria marginali* Lyrano aliisq; additamentis sæpe numero edita est, & in Bibliothecis passim occurrit. *Interlinearis* autem nomen accepit, qvia novo & inusitato (ceu *Sixtus Senensis* scribit Lib. 4. Bibliothec. S.) explanationis modo utriusqve Testamenti libros ex brevissimis qvibusdam Patrum annotatiunculis *Anshelmus* exposuerit, qvas minutissimis characteribus descriptas inter ipsas scripturarum lineas, majoribus literis exaratas, non minus curiosa, qvam utili industria artificiosissime coaptavit. Eidem Anselmo *Gvilielmus Cave* & alii tribuere videntur *Glossam*, ut vulgo dicitur, *ordinariam*, qvæ ex variis collecta antiqvis Doctoribus, in margine collocatur, verbisqve scripturæ adjuncta, Lyrano fere præmitti solet. Sed communi sententia primus hujus Autor & collector

ctor fuiſſe creditur Anshelmo multo antiqvior (floruit ſiqvidem nono ſeculo, ſub Ludovico Pio) *VValafridus Strabo* ſ. Strabus Fuldenſis; ceu vulgo audit (neqve enim diverſa ſunt hæc duo nomina, prout exiſtimarunt nonnulli, qvorum nomina in compendio refert *Olearius* in Hiſt. Script. Eccleſ. *pag. 469.*) qvi Rabani Mauri diſcipulus, Monachus Fuldenſis, ſ. Benedicti, deinde ex Decano Cœnobii S. Galli, (cujus vitam & miracula qvoqve deſcripſit, qvam *Laurentius Surius* ad diem 16. Octobris exhibet, (factus Richenavienſis in Diœceſi Conſtantienſi Abbas, obiit Anno Chriſti 849. Qvod vero *Anshelmo* Gloſſam illam ordinariam, qvæ & marginalis dicitur, nonnulli adſcripſerint, illud ab interpolatione ortum eſſe videtur, qvod qvæ ab Anshelmo ad marginem addita fuerant, cum Strabenſibus annotatiunculis fuerint permixta. *Accipite vero* de his gloſſis Richardi Simonis hominis Pontificii judicium, *Hiſt. Crit. Vet. Teſtam. Lib. III. Cap. II. Strabonis gloſſa commentarii nomen potius, qvam gloſſa meretur, qvia non ſatis explicanda litera haret, uti in gloſſis fieri debet: plerique ſenſus, qvos refert, a litera li longe recedunt, & ut plurimum Theologiæ ipſius Scholaſticæ præjudiciis nituntur, ſeu qvæ apud patres legerat, & collegerat, nec minime examinaſſet, an hujusmodi explicationes minime literales gloſſæ nomen mererentur. Idem autor interdum nimis argutatur & parergicis ſubtilitatibus ad rem nihil facientibus ſcatet; qvæ qvidem res in homiliis, ſeu amplificationibus, neqvaqvam vero in gloſſis ferenda; Interlinearis vero gloſſa cum breviſſima ſit, & propter obſcura poſita obſcura tantum explanare debebat,*

*mysticis interim sensibus autor immoratur, doctus autem & eruditus videri volens pueriles & absurdas Etymologias adducit. Id tamen haec aetas veraeeruditionis omnis ignara mirabatur.*

III. Dionysius de Leevis ex oppidulo *Rychel*, in Diœcesi Leodiensi Monachus Carthusianus, ob sanctimoniam singularem, qvam præ se ferebat, revelationes etiam & assiduas contemplationes *Doctor Ecstaticus* appellatus, Scriptor indefessus (qvo de *Tritbemius*, in Catalogo Virorum Illustrium *pag. 159.*) tot & tanta scripsit, ut numero voluminum apud latinos (præter Augustinum) parem habuerit neminem. Contemplationi vero & orationi tanto fervore solebat insistere, ut nihil unqvam scribere potuisse videretur. Rursum tam continuus erat in studio legendi atqve scribendi, ut eum nec orare, nec contemplari posse existimares. Scripta illius refert *Tritbemius* l. c. *Theodorus Petrejus* in Bibliotheca Carthusianorum, & *Heinricus Wartbom* doctissimus, vitaqve longiore dignissimus juvenis in Appendice ad *Gvilielmi Cave* Historiam literariam. Interq; illa habes *Dionysii Commentarios in universos* Scripturæ libros Voluminibus VII. in fol. constantes; Colon. Anno 1533. & sæpius ibidem Paris. Lugd. recusos. De illo tale Jesuitæ Redani in *Lib. 1.* Maccabæor. *fol. XI.* ex Ribera petitum extat judicium: *Carthusianus Vir pius & doctus cui tamen nude transcriptionis, non judicii aut discussionis lima tribuenda est.*

IV. Hugo Victorinus, s. de S. Victore patria non Spirensis, uti *Mabillonii* fide, Tom. I. Analect. *p. 526.* persvasum *Caveo*, sed Saxo (vid. Heinrici Meibomii

differt.

Digitized by Google

differt. de *Hugonis Victorini patria Saxonia, Tom. III.* Rerum German. *pag. 492. seqq.*) natus Comes de Blanckenburg, postea Canonicus & Abbas S. Victoris Parisiensis, unde nomen accepit, ordinis Augustini, ac propter doctrinam insignem *Didascalus*, & ob assiduam Augustini lectionem, illiusqve imitationem accuratissimam communi eruditorum diverbio, *lingva Augustini*, *Augustinus alter* dictus: obiit, Anno 1140. æqvalis *Bernhardi Clarævallensis* vid. *Thom. Garzonium*, qvi Hugonis vitam scripsit. Ejus non in omnes qvidem, at plerosqve utriusqve fœderis libros annotationes elucidatoriæ & allegoricæ exstant, inter opera, edita Parisiis, Venetiis, Coloniæ, & deniqve Rothomagi, Anno 1648. fol. Faciemus tamen hujus Victorini iterum ad singulos, in qvos scripsit, S. Codicis libros mentionem.

V. Nicolaus de Lyra, non Anglus, ceu Trithemio & Sixto Senensi visum, neqve Batavus, aut Flander, vel Brabantius, *ut Erasmus*, *Drusius*, & *Antonius Julianus*, voluerunt, qvorum loca videbis apud *Valerium Andreæ Bibliothecæ Belg. pag. 690.* sed ex Lyra, Normanniæ vico, in Diœcesi, ut post varias Doctorum dubitationes certo jam constat ex his ejus Epitaphii Parisiensis verbis, laminæ æreæ incisis, qvod integrum novissime post *Henricum Willotum Franciscanorum, p. 283.* doctissimus *Johannes Mabillonius* vulgavit, in libro Gallico, *de studiis Monasticis, p. 673. Lyra brevis vicus Normanniæ in gente celebri prima mihi vitæ janua sors & fuit.* Illud enim Epithaphium, qvod *Antonio Julianus* refert, & Lyranum Brabantinum affirmat, a Lyra oppido inter Antvverpiam & Mechliniam sito,

ſuppoſititium eſſe, probat *Valerius Andreæ*, l.c. Ex Judæo, ut creditur, Chriſtianus, (*Antoninum* Autorem hæc traditio agnoſcit teſte *Mercero*, apud *Druſium*, Cap. XXXIII *ad loca difficiliora Exodi*, in dubium eam vocat, *Richardus Simon*, Libr. III. *Hiſt. Crit. V. T.* Cap. II. *Addunt multi e Judæo factum Chriſtianum, utut ſit, linguæ Hebraeæ peritus erat.*) Favere videtur Epitaphium ſtatim poſt nativitatem Chriſtianum factum, & non multo poſt Minoritam.

*Nulla dies mundi tenuit Veſania natum*
*Protinus evaſi religione Minor.*

Ordinis Minorum S. Franciſci, ſacrarumqve literarum Pariſiis in conventu Franciſcanorum interpres, obiit Anno CHRISTI 1340. non 1349. uti perperam excuſam apud *Ant. Poſſevinum* Apparatus Sacri *To. II. fol. 488.* & *Johannem Morinum* in Exercit. Biblicis *p. 497.* Univerſam S. Scripturam Poſtillis perpetuis, ſeu brevibus ad literam Commentariis, aliisqve prolixioribus moralibus illuſtravit. Præter editiones innumeras antiqviores, editas Romæ, Pariſiis, Baſileæ, Coloniæ, Lugduni, &c. caſtigatius prodierunt Lugduni Anno 1599. fol. qvatuor voluminibus, cura *Franciſci Fevardentii, Joh. Dadræi*, & *Jacobi de Cuilly*, qvi ex autographo, qvod Cœnobium Vernolienſe adhuc hodie ſervare dicitur, textum emendarunt. Vide *Ant. Poſſevinum Apparat. f. 487.* ut Biblia Gloſſata Duacenſia, & Biblia Maxima Joh. de la Hay præter mittamus, in qvo utroqve opere Lyrani Commentarii cum gloſſa ordinaria & interlineari habentur. Cœptum opus Anno 1293. abſolutum Anno 1330. In Commentariis

tariis ad V. T. seqvitur præcipue R. Salomonem, hinc *B. Lutherus* de Lyrano *Tom VIII. Altenburg. f. 305.* seqventem in modũ judicat: *Mann sehe den feinen Mann Lyra an, der ein guter Ebraist ist, und treuer Christ, wie machet er so gute Arbeit, wo er sich wieder den Jüdischen Verstand lässt, nach dem N. T. aber wo er seinem R. Salomo sonst folget, wie kalt und faul gehts ihm abe, daß er weder Hände, noch Füsse hat, ob er wohl die Worte und Buchstaben gewiß hat, noch ist er ja besser und reiner denn sie alle beyde, alte und neue Ebraisten, die zu gar sehr den Rabbinen folgen.* Consentit infensissimus Lutheri hostis *Cornelius a Lapide* in recensione interpretum Johannis Evangelistæ, fol. m. 149. *Lyra glossam illo tempore insignem scripsit. Verum hoc in Lyrano notandum & cavendum, quod ipse suæ genti & Rabbinis maxime R. Salomoni, qui magnus est Fabulator plus æqvo, etiam in naniis & fabellis Judaicis, subinde indulgeat & consentiat.* Ebraicæ qvam Græcæ Lingvæ fuit peritior. In qvæstionibus Theologicis, qvas passim immiscet, vestigia legit *Augustini & Thomæ Aqvinatis:* qvandoqve tamen a Thoma recessit, notatur propterea a *Diego Deza*, qvi defensiones adversus locos aliqvot, in qvibus Lyranus Thomæ adversatur, edidit, vide *Sixtum Senensem Lib. IV. Biblioth. S. pag. 348.* De Notis Lyræ, *Richardi Simonis*, censuram habes, *Lib. III. Hist. Critic. V. T. Cap. II.* & *Lib. III. Critic. N. T. Cap. XXXIII.* Scomma Pontificiorum, qvo in B. Lutherum luserunt: *Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset, aut delirasset*, ita elusit *B. Calov. in Præloqv. Generali ad Libros S. Codicis Bibl. Illustrat. Tom. I. fol. 9. Jactitant de Lyrano Papicola, in odium & com-*

*contemptum Lutheri, nisi Lyra lyrasset, Lutherus non saltasset. Sed conferant, obsecro, ea, quæ B. Lutherus in Libros Biblicos & sententias Scripturæ edidit, cum his, quæ in pestillis Lyrani occurrunt, & monstrent, ubi saltet Lutherus ad Lyram Lyræ: id certe nunquam docebunt, quod dicterio probroso indicant, nimirum, Lutherum invenire sine Lyra haud potuisse Scripturæ sensum; id autem verius invenient Lyranum sæpe sæpius delirare, ubi contra B. Lutherus contentum Prophetarum & Apostolorum & harmoniam totius scripturæ perennem sapienter observavit. Ubi vero Scripturæ consonat Lyra expositione literali, optandum esset, Papistas saltasse juxta ejus modulos, &c.* Ego autem in ipsos Pontificios ita retorqveo, maximam Theologorum Papæorum partem ipsis Pontificiis confessoribus ad modos Lyræ saltare, & saltatores illos occasionem huic dedisse proverbio: Ergo maximam Pontificiorum partem ex Pontificiorum sententia delirare. Accipe ingenuam Confessionem *Cornelii a Lapide l. c. in Job. fol. 249. Lyra glossam illo tempore integram scripsit, qva Johannem & cæteros hagiographos ad literam explicat, adeo ut de eo vulgiore olim tritum fuerit illud. Si Lyra non lyrasset NB. NB. nostri Theologi non saltassent.* Adde elogium *Henr. Tostati Rickelii* apud *Henr. Willotum* in Athenis Orthodoxorum sodalitii Franciſci p. 279. *Lyranus primus glaciem fregit posterisqve ad universa biblia aditum paravit.* Juvat hic sub finem legere, qvæ in laudem Lyræ *Janus Drusius* scripsit l. c. *Nic. de Lyra a paucis legitur. Olim aliter fuit, nam ut omittam Theologos, ipse*

*Rex*

*Rex Alphonſus ſæpius eum legiſſe perhibetur, (niſi fallor, decies ter) una cum Gloſſa ordinaria.*

*Paulus de S. Maria* ab Epiſcopatu Burgenſi cui præerat, dum illum, de qvo nobis jam ſermo erit, librum ſcribere *Burgenſis*: ex Judæo Chriſtianus ceu ipſe teſtatur in dedicatione additionum ad *Alphonſum* filium (qvem in Judaiſmo genuerat una cum Conſalvo Placentinorum poſtea Epiſcopo & Alvaro Garſia familiæ propagatore, qvi nobiliſſimis Hiſpaniæ familiis ſe immiſcuit) Decanum Compoſtellanum, poſtea Patris in Epiſcopatu Burgenſis munere ſucceſſorem. Ita vero Paulus: *Qvid tibi dis ut vivens donem, dilectiſſime fili, aut ſucceſſionis titulo poſt vitam relinqvam, niſi qvod ad ſacrarum Scripturarum notitiam conferat & greſſus tuos in Catholica veritatis ſolidiſſimo fervore confirmet. Hoc eſt enim, qvod corde geſtu ac ore profiteor, & de qvo puto ſcriptum fuiſſe: Pater filiis notam faciet veritatem ſuam. Qvam cum ab ineunte ætate non recepiſſem, ſed ſub Judaica cœcitatis perfidia natus S. Literas non a ſacris doctoribus didiciſſem, ab erroneis magiſtris errores ſenſus trahebam, literam rectam non rectis cavillationibus, ut cæteri illi perfidiæ duces temerarie involvere ſatagent, cum vero placuit illi, cujus miſericordia menſuram non habet, me a tenebris ad lucem, a caliginoſo turbine ad ſerenum aërem evocare, ceciderunt qvodammodo ſqvamæ de oculis mentis meæ, & cœpi Scripturam S. aliqvando ſtudioſus relegere, & jam non perfide, ſed humiliter veritatem inqvirere, & ingenii mei viribus non confidens toto corde a Domino poſtulare, ut qvod ſalubrius animæ meæ eſſet cordi meo inſigere dignaretur, nocte dieqve ejus auxilium præſtolabor. Sitqve factum eſt, ut*

*Catholicæ fidei desiderium in mente mea de die in diem fortius incandesceret, quod ad ipsam fidem quam corde gerebam publice profiterer, & ea fere ætate qva tu nunc es, baptismi Sacramentum in hujus Ecclesiæ sacro fonte susceperi, Pauli nomen assumens, te tunc infantiæ innocentia gaudente.* Scripsit hic additiones notabiles ad Lyrani postillas, qvibus plurima ejus loca sæpe non infeliciter notat & emendat. Contra hunc replicas in lucem emisit *Matthæus Doring.* Saxo Ordinis Minorum, Nicolaum de Lyra a Pauli objectionibus defensurus, & si forte impar tantis litibus inter Viros non indoctos componendis; utriusqve & Burgensis & Doringii labor solet plerumqve Nic. Lyrani Postillis adjici.

VI. *Biblia Glossata Duacensia* curantibus Academiæ illius Theologis cumprimis *Gvil. Estio.* Duacensis Academiæ Cancellario & Professore Theologo Primario. Prodierunt primum 1617. Voll. 6. & præter glossam inter linearem ordinariamqve auctam novis Patrum Græcorum Latinorumqve Scholiis, Nic. Lyrani Postillas emendatas cum Pauli Burgensis additionibus, Matthæiqve Doringii replicis complectantur. Idem opus recusam est Antwerpiæ Anno 1634.

VII. *Isidorus Clarius Brixianus* Ordinis S. Benedicti Ecclesiæ Fulginatensis per septem annos Episcopus, obiit Anno 1555. ætatis LX. in totum Bibliorum corpus ex versione vulgata a se passim interpolata (in qva octoginta millia errorum se correxisse affirmat) Scholia composuit, scripturæ literam explicantia, qvæ, ut editiones Venetam Antverpiensemqve

Digitized by Google

qve omittamus, inserta sunt etiam Criticis Sacris Anglis. Excerpta ex eisdem Clarii Scholiis leguntur in Synopsi Matthæi Poli, qvi eum plagii in *Teb. Munsterum* commissi arguit, qvod etiam facit *Rich. Simon. L. III. Hist. Crit. V. T. Cap. XIV. & Lib. II. Cap. XX.* Ubi hebraicæ lingvæ peritiam in eo desideras. Relata sunt hæc Scholia in indicem expurgatorium propter prologum & indices, qvibus lectionem Scripturæ & versionum usum commendaverat, iis recisis permissa iterum Synodi Tridentini auctoritate.

VIII. *Johannes Benedictus*, Doctor Parisiensis (prope distingvendus a *Renato Benedicto* itidem Theologo Parisiensi, qvi versionem Gallicam Scripturæ ridiculo ausu edidit vide *Simonem Lib. II.* Crit. V. T. *pag. 141.* ed Lat. brevissima sed utilissima (judice Sixto Senensi) Scholia ex Sanctis ac vetustis Patribus nominatim citatis collegit in universam scripturam, eaqve adjecit vulgatæ Bibliorum editioni a se recognitæ obeliscis & asteriscis distinctæ. Paris. 1541. & post iteratas editiones 1574. in fol. regali *Arnoldus* vero *Bootius* in indice Autorum animadversionibus suis sacris præmisso observat. *Benedictum in annotandis locis, ubi ab Ebraico dissentit Latina, sæpe mancum esse & jejunum, ac plerumqve potioribus & capitalibus penitus omissis exigua qvedam & minores momenti attigisse: in iis autem, qvæ notet permutta a Pagnino desumpta esse, atqve ex ipsius interpretatione ad verbum, aut parva commutatione transcripta ita tamen, ut non pauca qvoqve sint in qvibus a Pagnino penitus desciscat,* sed in qvibus negat *Bootius* se nullum potuisse operæ pretium deprehendere.

IX. *Thomas er familia Vicorum de Vio* non ignobili Cajetæ Urbe Cajetanus, patriæ Ecclesiæ Episcopus & Prior Generalis ordinis Prædicatorum (cujus vitam scripsit *Joh. Bapt. Flavius*, adjecta est Cajetani Commentariis in Jobum. *Rom. 1535. fol.* & *Antonius Fonseca Comment. in Pentateuchum* præmissa, ut *Ughellum* in *Addit. ad Ciacconia Leonem X.* Collectores vitarum ordinis S. Dominici *Waddingium*, *Tollinianum*, *&c.* præteream Clementi VII. in Pontificatu successurus, nisi prius ille e vita exiisset Anno 1534. Vid *Sixt. Sen. Lib. IV. Bibl. S. pag. 386.* Extant ejus Commentarii in omnes libros Biblicos exceptis Cantico Canticorum, Prophetis (nisi qvod tria priora Esaiæ capita illustravit) & Apocalypsi, ad qvam, cum post expositos reliqvos N. T. libros perveniisset: *explicet*, inqvit *cui DEUS concesserit.* Qvia professus est, *sacras literas interdum etiam contra torrentem Patrum interpretari licere*, hæreticis, tametsi cum hæsitatione, annumeratur ab *Alphonso a Castro Lib. II.* adversus hæreses, & *Gabriele Prateolo* Elench. hæret. *p. 480.* qvod inconsideranter eos feciisse, non dubitat *Natalis Alexander* Sec. 15 & Sec. 16. ac jam pridem *Antonius Sotamajor* indice librorum expurgandorum *p. 37.* Cajetanum e numero hæreticorum apud Alphonsum de Castro expungi; cum potius inter summi ingenii voros, pietate præclaros, atqve optime de Ecclesia Catholica meritos numerandus sit. Ambrosium qvoqve Catharinum constat Anno 1535. scripsisse *de erroribus Cajetani* Facultate Parisiensi approbante (cujus scripti causas *Theophilus Raynaudus* domesticas rixas fuisse suspicatur: *Catharinus Caje-*

Digitized by Google

*Cajetani, strenuus Criminator domesticas rixas ulciscens qvinqve libris Cajetani nævos est persecutus*) neqve obscurum est, qvam vehementer in eum invectus sit *Melchior Canus Libr. VII. Theol. Loc. Cap. III.* sed tamen ex Pontificiis qvoqve ejus patrocinium audacter in se suscepere *Andradius L. VII.* Defens. Concil. Trid. *Sixtus Senens.* Lib. V. Bibliothec. S. *Jac. Gretserus* de novis translationibus *Cap. II. Alphonsus Ciacconius* in vitis Pontificum Romanorum *Tom. IV.* vita Leonis X. *fol. m. 394. Richartus Simon Lib. III.* Hist. Crit. V. T. *p. 51.* conf. etiam qvæ de Pontificiis, utrum hæreticus Cajetanus sit, disceptantibus occurrunt apud *Reynaudum Tom. XII. Opp. p. 658. Ferdinandus Ughellus* Florentinus Abbas SS. Vincentii & Anastasii ad Aqvas Salviar. Ordinis Cistercienſis *To. I.* Italiæ Sacræ hoc illum ornat elogio: *Hic ille est alter Thomas, ingeniorum extrema linea, doctorum Virorum miraculum, hæretica pravitatis terror, sacrarum Scripturarum lumen, ac fax; Scholastici pulveris athleta invictus, Thomistica doctrinæ galeatus defensor, sinceriorisdoctrinæ propugnaculum, arx, ac promptuarium subtilium argumentorum; cathedræ demum splendor, ac decus, cujus adeo immortalia scripta sunt, ut tamdiu videantur perennatura, qvandiu Divinam sapientiam Scholastica subsellia personabunt.* Cæterum, cum doctissimum, nec mediocri judicio præditum Cajetanũ omnes fateantur, lingvarum tamen, Hebraicæ, Græcæqve peritiam multi in eo desiderarunt, dolentqve omnia alienis oculis videre coactum. Hebraica non intellexisse ipse fatetur *Præfat. Comment. in Psalmos*, adde *Morinum pag. 25. Exercit. Bibl.* creditur tamen vulgo non minus

Græcæ ignarus extitisse linguæ, quam Hebraicæ inquit *Richardus Simon Lib. III. Hist. Critic. V. T. p. 52.* vid. & *Estium* ad *2. Cor. IV. 16.* ut adeo recte de eo pronunciaverit *Christophorus Cartwright*, *Lib. IV. Mellif. Hebr. Cap. X. Tom. VIII. Critic. Anglic. pag. 3088. Cajetanus, etiamsi in suo literarum genere nulli secundus, nulla tamen linguarum cognitione imbutus.* Singillatim etiam queruntur Pontificii, eum ex Protestantium Scriptorem lectione tantum de zelo remisisse, tantumque temperamentum & adiaphorias accepisse, ut ejus Commentarii jam nec hæreticis, nec Catholicis probare se satis possint, vid. *Pallavicinum Lib. VI. Hist. Concilii Trid. Cap. XVII. pag. 269.* De Cajetani Commentariis in novum fœdus vid. iterum *Richardus Simon Lib. III. Hist. Critic. N. T. Cap. XXXVII.* ubi etiam nonnulla habet in gratiam Cardinalis adversus Ambrosium Catharinum.

X. *Thomas Malvenda*, Valentinus, Ordinis Prædicatorum apud Lombajenses primum, deinde Romæ Theologiam docuit, mortuus denique Valentiæ Anno 1628. cum per septennium in nova Scripturæ versione ad verbum Commentariisque concinnandis laborasset, in quibus tamen per fata non licuit ei ultra XVI. Cap. Ezechielis pervenire, ceu ipse paucis ante mortem diebus, ad Cap. XVI. Ezechielis propria manu annotarat: *Se in Ezechielis Cap. XVI. allaborantem ad meliora vocatum esse.* Prodierunt demum post mortem Lugdun. 1650. *fol. V. Volum.* opera *Thomæ Turcii*, Generalis Dominicanorum Ministri. Excerpta ex iis leguntur in *Bibliis Maximis* Joh. de la Haye, & in *Synopsi Critic.* Matthæi Poli, cujus judicio *Malvenda*

magna

*magna sane industria, (utinam pari & pari judicio) varias difficilium inprimis locorum versiones & interpretationes ex diversis autoribus dissimulatis tamen plerumque ipsorum nominibus contexuit.* Francisci Junii plagiarium dici memini ab incomparabili Lipsi Theologo *B. D. Jo. Benedicto Carpzovio Tom. II. Concion. Funebr. pag. 660.* Richardus vero Simon hæc de eo habet, *Lib. II. Hist. Critic. V. T. Cap. XX. Edita quoque versio cum notis Thomæ Malvendæ Dominicani; Sed adeo barbara, adeo inconstans, ut nisi Autor statim notas explanationis gratia, & in textus explicationem observationes adjecisset, nullius plane utilitatis foret, cum iisdem vitiis & quidem sæpius, quam Arias Montanus fateat. Si quis itaque pure versiones Grammaticas textus sacri habere velit, legat Malvendam, qui ipsi & Grammatica & dictionarii instar unus erit.* Idem Lib. III. Cap. XII. *Malvenda Dominicanus, qui maxime partis V. T.* (in Latina versione Hist. Critic. *Natalis Alexandri de Verse* Lib. III. pag. 55. perperam legitur: *Maxima partis N. T.*) *versionem admodum barbaram conscripsit, Commentarios aut magis notas literales adjecit, dignas, quæ legantur, etsi multa superflua contineant. Quia scopus illi erat, varias omnes interpretationes textus Hebraici proferre multas idcirco a genuino sensu procul dissitas, & nulla probabilitatis specie nixas protulit. Nimium quoque Etymologiis, & aliis Grammaticæ minutiis inhæret, Cajetanum tum in suis versionibus, tum Commentariis imitari ex parte videtur, cum hoc tamen discrimine, quod per seipsum pro sua lingvæ Hebraicæ cognitione variarum interpretationum delectum facere poterat, is vero nequaquam, sed omnino ex aliis pendebat.*

AM-

# ANNEXA.

## I.

*S. Scriptura eſt perfecta.*

## II.

*Senſus cujusque loci S. S. literas non niſi unus eſt.*

## III.

*Literalis ſenſus ſolus eſt argumentativus.*

## IV.

*Senſus myſticus vel eſt literalis, vel nullus.*

## V.

*Idem non eſt argumentativus, niſi explicatus.*



Digitized by Google

# DISSERTATIO V.

## Exhibens.

*Lucam Brugenſem*, Theologum Lovanienſem.
*Antonium de Escobar & Mendoza.*
*Guilielmum Eſtium.*
*Franciſcum Harcum.*
*Jacobum Gordonium.*
*Johannem Marianam.*
*Emanuelem Sa,*
*& Petrum Lanſelium.*
*Joh. Stephanum Menochium.*
*Cornelium a Lapide.*
*Jacobum Tirinum,*
*Johannem de la Haye*, Biblia magna & maxima.
Opus affectum *Franciſci Garzia de la Valle.*

## XI.

*Franciſcus Lucas Brugenſis*, Theologus Lovanienſis doctiſſimus, & Eccleſiæ Audomaropolitanæ Decanus, præter correctiones Vulgatæ editionis (innumera enim errata deprehendit etiam poſt cenſuram Clementis VIII. Conf. *Natalis Alexandri Diſſert. III.* contra *Fraſſenium* in Triade diſſertationum) cum ſeorſim Antwerpiæ 1603. in 12. & 1608. 8vo tum in Bibliis Ariæ Montani & majoribus operibus Biblicis ſæpius editas, vulgavit etiam notationes Criticas in libros Sacros utriusqve Teſtamenti. Qvæ, ut editionem Antwerpienſem 1580. 4to prætereamus, habentur Tomo IX. *Criticorum Anglicorum* & excerpta ex

iisdem inserta Tomo VI. Polyglotton Londinensium. Nihil iis exactius in hoc genere reperiri præclarum *R. Simonis* judicium est *Lib. II. Hist. Critic. N. 1. pag. 156.* Ab autore vero in eum finem conscriptæ fuerant, ut *Bibliis Lovanienſibus* jungerentur. Cæterum de variis lectionibus quas *Robertus Stephanus* Parisiis, *Joh. Hentenius* Lovanii, aliique Doctores Lovanienses collegerunt ediderunteque, dicere pluribus hoc loco nihil attinet, ubi de commentariis notisque in scripturam, non de variis lectionibus agimus. De Latinis autem Bibliis quæ Robertus Stephanus, & post eum Doctores Salmaticenses una cum Scholiis vulgaverunt, aptior erit dicendi locus, cum pervenerimus ad *Franciſcum* Vatablum. Obiit *Franciſcus Lucas Anno 1629.*

XII. *Antonius de Eſcobar & Mendoza* Pincianus, Jesuita *Alegambe* in Bibliotheca Jesuitica falso Brugensem tradit, vir multæ scientiæ, conscientiæ ferme nullius, quod Opera ejus Moralia aperte probant. Notatus proinde ab ipso Pontifice Innocentio XI. 4. Martii Anno 1679. ut quæ *Montaltius*, h. e. *Dominus de Paſcal* in literis Provincialibus & *Autor in Morale des Jeſuites* ipsi objecit jam taceam. Homo stupendi laboris & assiduitatis, qui plurima quamvis publico dederit opera, omnia tamen propria manu scripsit, neque unquam amanuensis usu fuit auxilio. Scripsit hic *Vetus & Novum Teſtamentum* literalibus & moralibus commentariis illustratum, tribus Voluminibus constans quæ Lugduni 1652. prodiere. Carere hoc opere facile quis potest, cum nil nisi Locos Communes majo-

Digitized by Google

majori accuratione ab aliis digestos tradat & in evolutione sensus literalis valde jejunum sit. Obiit Ao. 1669. ætatis suæ 81.

XIII. *Gvilielmus Estius*, de vetusta nobilium olim arcis *Estensis* Toparcharum stirpe, unde ipsi cognomen, Gorcomensis Batavus Theologus & Cancellarius Academiæ Duacensis doctissimus. Præter commentarios in Epistolas Pauli reliqvorum Apostolorum *a Bartholomæo Petri* suppletos suoqve loco nobis commemorandos, vulgavit præstantissimum & multa eruditione refertum opus *annotationum in difficiliora loca totius scripturæ*, (exceptis Epistolis Apostolicis ob justum de qvo jam scripsimus commentarium) qvæ præter editiones Duacenses, Colonienses, Moguntinas aliasqve a *Johanne de la Haye* insertæ sunt Bibliorum Magnorum Maximorumqve splendidis operibus & a *Matth. Polo* in synopsi Critic. excerpuntur. Occasionem operis recensetCasp. Nemius ad Lectorem. *Solebat Author, qvo tempore Regio Duacensi Seminario præsideret ex lectis de more ad mensam Scripturæ Sacræ capitibus, unam, alteramve sententiam insigniorem, ad fidei vel morum doctrinam pertinentem, alicui e Seminario Alumnis, qva qværendo, qva objiciendo proponere, eandemqve posteu, qvatenus opus erat, plenius explicare. Ne vero qvidqvam non præmeditatum in medium adferres; mirum dictu qvanta cura ac diligentia dicenda annotare, & in adversaria adferre sit solitus. Neqve primis duntaxat annis eam curam adhibuit; sed & posterioribus ab hac cura, ab hac consvetudine non recessit. Atqve hinc factum est, ut succedentibus temporibus ad unum eundemqve Scri-*

*ptura locum, non raro, plures, interdum etiam (secundis curis, qvæ sapientiores vulgo dicuntur, priores emendantibus) in speciem contraria occurrerent annotationes. Ex his ante annos circiter septem delecta fuerunt, & in lucem emissa, qvæ prælo digniores videbantur, prætermissis non paucis, qvæ vel manus scribentis effugerant, vel certe minus elaborata censebantur. Qvin & Vir qvidam egregie doctus ex illis ipsis annotationibus, qvæ tum impressa sunt, qvædam hinc inde tanqvam minus necessaria resecavit: & non pauca qvæ Author fusius, sive uno, sive pluribus locis proposuit, in compendium redegit: idqve studens brevitati & lectoris commodo, nec sine magno labore.* Præter ea qvæ in laudem *Estii* in Historia Critica utriusqve Testamenti dixit *Simonius*, qvi tamen in Critica V. T. Libri III. p. 47. majorem lingvæ Hebrææ & Critices cognitionem in Estio desiderat, non mediocre profecto elogium est, qvod ei tribuit Northonus Knatchbull, cum *virum summe ingenuum, vereqve literatum* appellat pag. 310. & 318. *animad. paradox. ad libros Novi Testamenti.* Obiit Estius Anno 1613.

XIV. *Franciscus Haraeus*, Trajectinus ad Rhenum, Theologus itidem & Canonicus Lovanienſis, ex legatione in Moscoviam *Antonii Possevini* Papismi causa susceptа, perqvam celebris, nomen etiam sibi comparavit collectis illustratisqve Patrum in libros utriusqve Instrumenti expositionibus. Antw. 1630. & 1650. fol. Vivendi finem fecit 1632.

XV. *Jacobus Gordonius* Aberdonensis Scotus Jesuita Tolosani & Burdegalensis Collegiorum Rector Anno Christi 1641. ætatis 88. denatus, paucis ante mor-

Digitized by Google

mortem annis *in utrumqve Testamentum commentaria ad sensum litera* in lucem emisit Parisiis 1636. fol. tribus voluminibus. Nasutissimus censor *Simonius* nihil, qvod in eo reprehenderet, reperit aliud, nisi qvod interdum contra scopum literalium commentariorum controversias Theologicas attigit. Alioqvi laus non proletaria est, qvod ait, *paucissimos esse commentarios tot & tanta continentes*, Libr. III. Cap. XII. Hist. Crit. V. T. Mortuus Parisiis Anno 1641. ætatis suæ 88.

XVI. *Johannes Mariana*, natus Talaveræ in regno Toletano, Complutiqve in Societatem Jesuiticam cooptatus Romæ & Parisiis Theologicam docuit, scripta etiam Hispanicarum rerum historia & aliis operibus non contemnendis (qvæa *Nicolao Antonio & Alegambio* recensentur) celeberrimus, hoc loco commemorandus nobis est propter *scholia brevia in Vetus ac Novum Testamentum*, Antwerpiæ & Parisiis non semel edita, cum seorsim, tum cum scholiis *Emanuelis Sa*, & *Stephani Menochii*, *etiam in Bibliis magnis Johannis de la Haye*. Et qvamvis breves sint ejus notæ, eximiæ tamen sunt, nec exiguam autoris eruditionem, judiciumqve insigne arguunt. Vide *Simonem l.c. & Lib. III. Crit. N. T. Cap. XLI.* Obiit probe nonagenarius Toleti 1623.

XVII. *Emanuel Sa*, Lusitanus, qvi vitam finiit in secessu Aronensi septuagenario major, An. 1596. Societati Jesuitarum Conimbricæ nomen dedit, Theologiamqve docuit Romæ. Jussu *Pii V.* Pontificis etiam cum *Petro Parra* sodali adhibitus corrigendæ editioni Bibliorum. Præter librum celebratissimum, sæpissimeqve

meqve editum, qvem *Aphorismos Confessionarios* inscripsit, & *Scholia in qvatuor Evangelistas ex selectis veterum Patrum sententiis collecta*, scripsit etiam *breves notationes in totam Scripturam*, partim seorsim Antverpiæ, Coloniæ, Lugduni, partim Parisiis in Opere Magno *Johannis de la Haye*, cum commentariis *Mariana, Menochii, Tirini, Gagnei* editas. PETRUS qvoqve LANSELIUS Anno 1632. vita defunctus, Belga, idem Jesuita & lingvarum in Academia Madritensi Professor, Biblia sacra cum annotationibus *Emanuelis Sa, Johannis Moriana* & ubi illæ deficiunt cum suis edidit Antverpiæ 1624. fol. At brevitatem *Sa* vix aliis, qvam doctioribus usui esse posse, recte judicavit *Cornelius a Lapide*. Perstrinxit vero ob Autoris ingenium & indolem *Theoph. Raynaudus. To. XIII. Opp.* in laude brevitatis *f. 417. a Confer ejus*, inqvit, de amplioribus ac florulentis Alphonsi Tostati Commentariis differens, *ubertatem ac plenitudinem, undecunqve differtam cum accisa supra modum brevitate Manuelis Sa, qvi circa ipsum nomen ac cognomen suum, invenit, qvod recideret. Cum enim nomen illi esset* Emmanuel, *inducta Aphæresi, voluit dici* Manuel: *& per Apocopen* Sa *audivit, qvi cognominandus erat* Saa. *Simili parcitate verborum & styli accisione usus est in Commentariis, qvi ut boni sint ac eruditi, de qvo inter doctos non ambigitur, lectoribus tamen (præsertim tyronibus) parum admodum commodant, pra summa brevitate: a qva proinde maxima interpretum pars haud immerito abhorret.* Cæterum Emanuel Sa merito suo non accurati minus judicii vir, qvam magnæ eruditionis audit *Tannero* Tom. IV. Theol. Schol. fol. 441

Scho-

Scholiaqve ejus qvantumvis brevia utiliter conſulun-tur, qvia paucis dicunt, qvæ vix pluribus verbis do-cent ceteri.

XVIII. *Jacobi Menochii* JCtorum principis filius *Joh. Stephanus Menochius*, qvi ætatis ſuæ 80. poſt. Chri-ſtum natum 1655. ad plures abiit, nunc ſeqvitur. IS vero & Mediolanenſis & Jeſuita & in Collegio Patrio Romanoqve doctor fuit, atqve præter Libros VIII. *de Republica Ebræorum*, in qvibus vel illa de Papæorum je-juniis ingenua confeſſio nullo remunerari poteſt pretio, Lib. III. Cap. XII. Qvæſt. 3. *ex dictis apparet, tunc potiſſimum jejunare ſolitos judæos, cum in mœrore eſſent, & cum aliqvid a Domino vellent impetrare; tunc enim oratio-ni jungebant jejunium. Hoc autem multo majori cum rigore apud ipſos ſervabatur; nam cum jejunabant, cibo & potu plane abſtinebant usqve ad noctem; qvare non eſt locus qvæ-ſtioni, an in jejunio abſtinerent a carnibus, & piſcibus veſce-rentur? nam cum exacte jejunabant, impaſti & ſine cibo usqve ad noctem perſeverabant*; præter *Hiſtoriam Sacram CHRISTI & Apoſtolorum* aliaqve ſcripta plurima ad lu-bem obſcuris ſacrarum literarum locis affundendam facientia, edidit *Scholia* ſive *brevem explicationem ſenſus literalis in utrumqve Teſtamentum.* Poſt repetitas edi-tiones Coloniæ, Antverpiæ & Pariſiis vulgatas, a *Jo-hanne de la Haye* qvoqve Bibliis Magnis intertæ & a *Mat-thæo Polo* in Synopſi Criticorum exerptæ ſunt. *Hugo* autem *Grotius* præfatione ad Commentarios ſuos in Libros V. T. inter paucos, ex qvibus profecerit, no-minat *Menochium* his verbis: *Sunt & noſtræ ætatis non ſpernendi labores. Vetabli, Franciſci Junii, atqve eorum,*

qvos

*qvos multos legit, contractosqve nobis additis & suis præclaris cogitatis oboculos posuit Joh. Stephanus Menochius.* Nimis brevitati litasse, atqve inde obscurum qvandoq; fieri qveritur *Rich. Simon Lib. III. Hist. Crit. N. T. Cap. XLIV.* qvi præterea non diffitetur, eum esse ex Scriptoribus optimis, *maximoqve judicio valentibus*; qvi inqvam vel in Vetus, vel in Novum Instrumentum qvicqvam ediderunt. Ipse autor opus suum ab Antecessorem, Sa, Marianæ, Estii Commentationibus Biblicis in Præfat. ad Lectorem sic distingvit: *Qvod opus qvanqvam ab aliis tentatum est, primum ab Emanuele Sa, deinde a Joanne Mariana nostræ Societatis hominibus, & a Gvilielmo etiam Estio (ut de recentioribus tantum verba faciam) adhuc tamen a divinarum litterarum studiosis aliqvid magis absolutum desiderari sentiebam. Nam Mariana integros aliqvot libros intactos reliqvit: nec tam in eo ut bene sacri codices intelligerentur elaboravit; qvam qva ipse notaverat ad lectionum varietatem spectantia, aut Hebraici textus cum Latina editione, ac septuaginta Virorum interpretatione concordiam, ad publicam utilitatem evulgavit. Estius, qvod consilium ipsius fuisse profitentur, qui posthumas ejus notas in scripturam ediderunt, carptim multa delibavit; omnia persequi vel noluit, vel aliis exclusus occupationibus, non potuit. Emanuel vero Sa licet nullam pagina divinæ partem interpretatus non sit; brevis tamen adeo est, ut multorum votis, qui paulo uberiorum desiderant explicationem, locum fecerit. Hanc ego, Lector, aggredior voluntate sane majori, qvam facultate. Spes tamen est, non ingratum fore sacrarum litterarum Candidatis conatum hunc nostrum; nam brevitatem cum perspicuitate, qvan-*

*qvantum licuit, conciliare conati sumus, & ex optimis qvibusqve scriptoribus, ea selegimus, qva sacri textus sententiam planam facerent; &, nisi qvid de nostro, qvod ad loci faceret interpretationem haberemus, fuse ab aliis dispu-tata in pauca, qvantum fieri potuit, contraximus; illudqve universe spectavimus, ut in notationibus hisce qvamvis brevibus, nulla tamen esset iners, & cujus nullum esset opere pretium.*

XIX. *Cornelius* Corenlii *a Lapide*, Belga ex ditione Leodiensi, qvem inter *Homulos* (ceu *Theoph. Raynaudus* loqvitur *Tom. XIII. Opp. fol. 486.*) potius qvam homines qvæsiisset. At multum salis huic tenui & pusillo corpori inerat, ut illud de erudito Pygmæo *Angelo Rocca*, Jani Nicii Erythræi judicium Pinacothecæ *P. I. p. 108.* ad Doctissimum Cornelium applicem. Unde & *Gilberto Jonino*, Poetæ ingeniosissimo, *Lib. IV. Oda 14.* qva Cornelium alloqvitur, hæc fluxerunt:

*Qvalis Dædalus improbo*
*Naturæ ingenio cedere pervicax*
*Vidæ qva licet æmulis*
*Pygmæis animam mobilibus dedit*
*Humanaqve sonitum parem*
*Voci, fictitia clausit imagine*
*Talis te facile manu*
*Cum docta egregio fingere te luto*
*Naturæ ingenium arduum*
*Et mentem exiguo corpore maximam*

*Incluſit temeraria;*
*Artis conſilio, maſſæ & inutili*
*Et anguſta pretium addidit.*
*O qvantum ingenii, qvam modicis parens*
*Incluſit DEUS artubus.*
*Nec rerum modicarum ingenium capax.*
*Sic aptus adamas nitens*
*Et puris radiat noctibus amulus*
*Et magnum exiguus licet*
*Auguſto pretium colligit ambitu*
*Sic magno imperio parem,*
*Qam mentem atherea ſe de trahunt apes*
*Celant exiguo ſinu*
*Et puri ingenium nectaris artifex.*

Prolixi ipſius & copioſi Commentarii (qvamvis brevitatis rationem ſemper habuiſſe, hansqve ſibi propoſuiſſe legem ubiqve prædicet) in omnes utriusqve fœderis libros exſtant, exceptis Jobo & Pſalmis, qvos tamen in deſtinationibus habebat & imperfectos etiam Alegambio reſte reliqvit: Audiamus ipſum Cornel. præfat. in Eccleſiaſticum p. 18. *Qvo circa poſt Siracidem Deo duce dabo Salomonem Tomo uno, puta Proverbia, Eccleſiaſten, Sapientiam, & forte Cantica, ſuperſunt deinde II. Tomi, alter libros Hiſtoricorum, alter Pſalmos & Job, qvibus omne V. T. complectar, claudet agmen 4. Evangeliorum Tomus, qvo univerſum S. Scripturæ circulum, ſi vitam viresqve Deus dederit, abſolvam, orbemqve Sacra*

*Ec-*

Digitized by Google

*Encyclopedia concludam, qva de causa brevis more meo, sed nervosius, exactius & succulentius sim oportet, ne & Tomi nimis multiplicentur, & vita me citius, qvam opus, deserat. Sunt & erunt, qvi partitis inter se libris desiderantibus prolixiora singuli in singulos Commentaria scribent.* Enim vero propriostur bavit circulos & ipse Cornelius, præmittendo expositiones Evangeliorum Commentationibus in Jobum & Psalmos, & mors, qvæ qvamvis ætatis demum Anno 71. Christi 1637. ipsum abstulerit, contigit tamen nondum confecto opere Jobi & Psalmorum. Prodierunt Cornelii opera vice plus simplici Antwerpiæ, Coloniæ, Parisiis Lugduniqve Tomis 12. Fol. Notarunt, qvi cum cura Commentarios illos evolverunt, ex Pontificiis etiam eruditione reliqvis præstare, qvos primos tempore edidit in Epist. sc. Paulinas & Pentateuchum. Ita enim *Guido Patinus* in Epist. p. 65. *Il a mis plus d' erudition dans ses deux premiers sur les livres de Moise & sur les Epitres de S. Paul, qv' il n' en a dans les dix autres; il est d' un homme savant comme d' un sac, qvelqve plein qv' il soit, il s' epuise & avsin demeure vuide a force d' en tirer. Plus eruditionis ostendit Cornelius in primis duobus Voluminibus ad Libros Moſis & Epistolas Pauli, qvam in reliqvos 10; nempe docti Viri eadem est qvam sacci ratio, nam & hic, qvantumvis plenus, denuo vacuus redditur, si sepius exhaurias.* Nullius fere judicii Jesuita audit *Theod. Hackspanio p. 259.* Syllogen, & methodum ejus, variaqve præterrem & modum abeo in Commentarios inserta, hominibus judicio præditis probari non posse, abunde indicat *Richard. Simonius Lib. III. Hist. Critic.* tum V.

tum N. T. His adde, qvæ de Cornelio nuper scripsit *Thomas Crenius* Animadversionum Philologicarum & Historicarum p. 84. *Si aniles e Legenda ferrea, Lurido Snrio & cæteris hujus generis futilibus & ridiculis Scriptoribus excerptas fabulas ad dementandam stolidam plebeculam & perterendos pueros emisisset, ipsi perspicuitatis & nervositatis laudem a celeberrimo* Dn. D. Mich. Walthero in Offic. Bibl. repositorio secundo §. 580. *tributam non invideremus. Ad qvod ille a Lapide de se ipso projicit, præfatione Commentarii in Proverbia se omnes omnium sacrorum librorum interpretes evolvisse, qvin etiam a Patribus omnibus Græcis, Syris, Latinis, Scholasticis, cæterisqve classicis auctoribus loca S. Scriptura sparsim ab iisdem pertractata studiose collegisse mihi non persvadet, nec opera ipsius probant. Audimus mola strepitum, sed ubi farina.*

*Gisbert. Voetius*, Biblioth. Studios. Theolog. Lib. II. Sect. II. Cap. IV. non dissimulat, se in Cornel. a Lapide desiderare (1) qvod interpretationes Pontificiorum & Patrum non semper omnes refert. (2) Nostrorum raro refert, aut sicubi hoc faciat, tantum occasionem qværit calumniæ. (3) In plurimis locis difficilibus & illustri ac prolixo Commentario illustrandis sæpe jejunus est, imo magis mutus, qvam piscis. (4) In Philolog. sacris hospes est, & consequenter admodum parcus, defuit enim ipsi eruditio in Lingva Græca in primis, etiam in Hebræa cæterisq; Orientalibus & consequentur in istarum lingvarũ idiotismis, elegantiis, antiqvitatibus. (5) in moralibus & practicis postillificas qvisqvilias & carbones pro thesauris ex *Cunipra-*

*tensi,*

*tenſi, diſcipulo de tempore, legendis* & ſimilibus fabularum promiscondis plerumqve obtrudit.(6) Breviter; ingenium ἐυεξήκοον ſubtilitas & judicium ſubactum non ita affuiſſe illi videtur, ut cum *Toſtato, Thoma, Lyra, Cajetano, Eſtio, Sanchez*, nec multiplex eruditio, & lectio, ut cum *Abulenſi, Aria Montano, Maſio, & noſtris: Mercero, Calvino, Beza, Muſculo, Willetto* comparari poſſit. *Qvia tamen ex ſuis pleraqve laborioſe collegit, & ſubinde ad alios autores digitum intendit, inſuper hodiernos ſchola & Synagoga humana interpretationes exponit, & tuetur, non inutiliter eum comparabant Theologi.* Hæc Voëtius. In primis probandum *Matth. Poli* judicium, qvod ex Cornelio excepta in Synopſin ſuam digerens, modo *autorum minime ſpernendum appellat*, mox obſervat in ejus Commentariis inter multa a re aliena viciſſim non *pauca acumine atqve doctrina plusqvam vulgari ſcripta reperiri.* Etiam ex *Simonio* & aliis conſtat, illum Lingvarum Orientalium, qvas non ſatis callebat, ignorationem conſultis earum peritiſſimis partim ſublevaſſe, & ex eorum judicio *qvædam non paſſim obvia Commentariis ſuis inſeruiſſe.* Plagii Cornelium accuſant Duum virl noſtræ Eccleſiæ *Dorſchæus* atqve *Danhauerus*, qvorum ille in expoſitionibus Lucæ Evangeliſtæ, Balthaſ. Corderium exſcripſiſſe in *Religions Scrupel* p.368. Hic *Hodo.* p. 943. Beze Annotationos in N. T. deſcripſiſſe adfirmat. Nos ſæpius illum ipſius Lutheri fontes in ſuos derivaſſe agros deprehendimus, confer qvæ tradit ad 1. Cor. XI. pag. 289. *Sane in hora mortis, in die illa terribili, cum ſiſtemur tribunali Chriſti de fide & vita examinandi, ſi me roget Chriſtus,*

*Cur credidisti corpus meum in Eucharistia? fidenter dicam: Domine, credidi quod tu dixisti, quod me docuisti: tu verba tua per tropum non explicuisti, nec ego per tropum explicare ausus fui. Ecclesia ea simpliciter accepit, & ego simpliciter accepi, hanc fidem, hanc reverentiam me verbis tuis, me Ecclesiæ tuæ debere plane mihi persuasi. Si Calvinistam roget Christus, Cur tu verba mea a proprio sensu tropum detorsisti? quid dicit? Ita mihi faciendum videbatur, quod ratio mea non caperet, qui id fieri posset aut deceret. Atqui, inquiet ille, utri potius assentiri debebas, rationi tuæ, quæ humana est & infirma, an verbo meo, quod omnipotens est & veracissimum? Ratio Gentilibus dictabat, in me, utpote DEUM, in carne natum, passum, crucifixum credere, stultum esse; & tamen tu hoc credendum putasti, & credidisti, idque solis Scripturæ verbis, quæ hoc simpliciter asserunt, persuasus. Quid ergo in hoc uno Eucharistiæ articulo id, quod de illa tam desertè dixi, adrationem tuam exigere, & juxta cerebrum tuum, tam depressum, infirmum & exiguum interpretari præsumsisti?* Annon hæc ipsissima Lutheri verba?

De cætero mea sententia Cornelii a Lapide Commentariis exactissime convenire Theophili Raynaudi itidem Lojolitæ judicium, quo plurimos Commentatorum Pontificiorum perstringit, diffidere nequeo. Ita vero ille Tom. XIII. Opp. in laude brevitatis f. m. 417. *Multi interpretum ut tomos impleant, & struices voluminum adornent, Caupones agunt, & vinum divini verbi, aqua miscent infausta cramate. Ea inquam fallida & frigita undecunq; corrogant, & commentariis inferciendis addensant, quæ in Sacris Commentariis congruentius desiderarentur.*

rentur. Expilantur Nannii Mirabellii Polyanthea, & Maruli exemplorum farragines, ac Joannis Petri (qui baptisma probe ejurato, Joannes Pierius Valerianus audire maluit) hieroglyphica, nec non Gnomologi omnes; quibus ad aliqvem Scripturæ locum, sive adductis sive per prehensum capillum tractis, explanationem Scripturæ titulus prænotatur. Qvæ (malum) perversio ista atqve confusio! Si cordi erat locos communes conscribere, vel concionum paradigmata plena & integra conficere, qvid vetabat talia scribere, & qvod erant prænotare, sylvas nimirum morales, aut locos communes, vel homilias ad populum? Non sic Patres, qvos idoneos Scripturarum interpretes formatos a S.S. habemus. Nusqvam apud eos farragines communium locorum comparent, nusqvam acervationes rhapsodiarum, adeo diffuse ut vix legi possint. Interdum qvidem Patres digitum obiter intendunt in aliqvid ex aliena literatura, & exoticarum mercium specimen commonstrant; nunqvam tamen insistunt in illis parergis, qvæ apud plerosqve nuperos immane qvantum superant erga. Sapiunt aqve ista judicii firmitatem ac nonnullorum in externis disciplinis tradendis præposteram ratio, res sacras trahentium, & obtorqventium ad profanitates amœnandas. Sic Annibal Rosselus integrum volumen, qvo totam Sacramentorum novæ legis tractationem complexus est, intexuit suis in Mercurii Trismegisti Pimandrum commentariis, ne apice qvidem Trismegisti per totum illum tomum memorato. Sic Petrus Andreas Canhonerius Commentarium in Hippocratis Aphorismos, longissimis variarum Theologicarum qvæstionum discussione, faginavit. Idem alii qvidam circa alias profanas materias præstiterunt: inepte profecto. Num fas cuiqve tractationi

sedes

*sedes & veluti regio esse debet. Patrij judicij inopia ad res sacras trahuntur profana quæque.*

XX. *Jacobus Tirinus*, Antwerpiensis & in patrio Jesuitarum Collegio Vice-Rector, qvod in limine Commentariorum falso promiserat *Cornelius a Lapide* reipsa præstitit, breviterqve & succincte Scripturam explicavit. Gravem dicam scribit ipse prolixioribus inter fidei papæ necessarios Commentatoribus: reprehendit eo nomine *Pererium* IV. Tomos in Genes. scribentem, *Toſtatum* totidem in Pentateuchum: *Villalpandum* in Ezechielem III. *Mendozam* in 8. priora 1. Reg. Capp. II. Tomos in Folio. *Quis denique*, inqvit, *Pineda Delrionis, Ludov. de la Fuente & aliorum crassissima Voll. evolvet, qvo sensum genuinum hauriant unius & non prolixi Cantici Salomonis.* Neqve tamen jejunæ brevitati studet, favet, hinc notat dicta præfatione glossam interlinearem Saæ, Marianæ, &c. aliorumqve selecta. Prodierunt Commentarii Tirini qvadriennio ante autoris obitum Anno 1632. II. Tom. in Fol. sed qvi uno possunt comprehendi Volumine. Repetita ibidem Editio 1645. & nuper admodum 1688. Inserti etiam *de la Haye* Bibliis magnis maximisqve & excerpti a *Matth. Polo*. Scopus operis universi fuit, ceu ipse exponit (1) munire Catholicos Doctores adversus hæreticos. (2) ut ad manum esset ejusmodi brevis & concinnus Commentarius, qvi ad mensas Prælatorum ac religiosorum, ubi ex antiqvo usu biblia qvotidie præleguntur, post singula Capita vel etiam dimidiata subnecti posset. Laudatur admodum labor Jac. Tirini ob calculos Chronologicos *Alegambio* in Biblioth.

blioth. fol. 390. Laudatur & *B. Calov.* Bibl. Illustr. p. 59. Commendant ipsius indices plurima, qvos Tom. III. subjecit, & in 4. distinxit classes, qvarũ prima est autorũ citatorum in Commentario, II. rerum & verborũ, III. Controversiarum, IV. Antilogiarum S. Scripturæ, V. variorum conceptuum Moralium in Evangelia totius anni. Cæterum *B. Scherzerus*, Præceptor noster, nunqvam sine laude nobis nominandus in Collegio Biblioth. MSC. Cod. 84. observat, Tirini Commentarios nihil fere aliud esse, qvam Corn. a Lapide contractum: *Caterum*, inqvit, *hic Scriptor est qvasi Cornelius a Lapide contractus; cujus vestigia insequitur & commentarios resectis illic nugis moralibus ac legendis, qvibus ille opus suum magis onerat, qvam ornat, velut epitomen tradit, ac solum sensum literalem lectori suo ingerere studet.* Fidem Tirini in allegandis autoribus *Sam. Maresius* (qvi indicem controversiarum Tirini peculiari libro sub censuram vocavit, Groning. 1648.) vocat in dubium in præf. l. c. *Qvamvis multis aliqvando citet autores, tamen qvi Riberam, Menochium, Salazarium, Serrarium & potissimum Cornelium a Lapide, qvos contraxit, cum hoc labore contulerit, facile deprehendet, se ex aliorum fide & relatione has citationes operi suo inseruisse.* Ego de Tirino id statuo, judicio & facultate scripturas tractandi tantum Cornelio præstitisse, qvantum illius Commentarii ab hujus scriptorum mole superantur.

XXI. *Johannes de la Haye*, Parisiensis Lector Regius & Minorum Ord. S. Francisci per Galliam Procurator generalis *duo ingentia Opera Biblica* nobis hoc loco commemoranda edidit, qvorum prius in

volumina qvinqve digestum *Biblia Magna* inscribitur, vulgatum Parisiis 1643. fol. Complectitur *Joh. Gagnei* commentarios in N. T. & de qvibus hactenus egimus *Gvil. Estii, Emanuelis Sa, Joh. Stephani Menochii & Jacobi Tirini* notas in totam scripturam singulis sacrorum librorum capitibus subjectas, qvæ ex Vulgata latina editione præmittuntur. Fatendum est qvod ait *Simon*, Lib. III. Hist. Crit. V. T. pag. 48. resecatis repetitionibus longe compendiosius hoc opus fieri potuisse, qvia *saepe idem dicunt hi qvatuor viri*. Forte tamen non ingratum est qvam plurimis ipsa autorum verba inspicere, nec alienum gustum sequi. Qvod autem porro ait *Simon* addi potuisse elucidationes ex Lyrano & aliis, id abunde sibi præstitisse visus est idem *Joh. de la Haye*, dum Anno 1660. ibidem in lucem protulit *Biblia Maxima* volumibus novendecim, in qvibus post prolegomena de Scriptura, Chronicon sacrum, tractatum de ponderibus, mensuris, monetis, de lingvis præcipue Orientalibus exhibetur latina Vulgata versio Scripturæ cum subjectis unicuiqve commati qvam plurimis translationibus, sive translationum potius versionibus latinis earumqve harmonia, & cum Vulgata conciliatione, breviqve annotatione literali; tum annotationibus *Nicolai de Lyra, Gvil. Estii, Joh. Menochii, Jac. Tirini & Joh. Gagnei*. Hoc opus suum reliqvis omnibus Biblicis præferre non dubitat Hajus, idqve vel ex mole jubet lectorum colligere. *Biblia Complutensia*, inqvit, *tria tantum habent volumina, Londinensia sex, Regiavelle Lutetiana decem mea vero novemdecim*. Sed merito hoc grande παράδοξον videtur B. Kortholto pag. 390. de variis scripturæ editionibus.

Et

Digitized by Google

Et qvod subjicit Hujus: *alia omnia Latinum tantum, Græcum, Hebraum, Samaritanum, Chaldæum, Syrum, Arabicum, Persicum & Æthiophicum complectuntur, præter ista me continent adhuc Slavonicum, Gothicum, Italum, Hispanicum, Gallicum*, hanc ejus vanam gloriationem ita excipit loco dicto Simonius: *ista linguarum omnis quam jactat multitudo in latinam versionem desinit, & vero simillimum est, autorem non nisi latinam linguam calluisse. Versiones Orientales, quas exhibet, latinæ versionis conversiones sunt. Satius fuisset tot absurdis ridiculis versionibus libros non implevisse, synonymis toties ad nauseam lectoris usurpatis abstinuisse, ac suum Malvendam imperitissimum toties non laudasse.* Adeo verum experietur qvisqvis grande illud opus evolvet, qvod ait *Matthæus Polus*, interpretationes locorum scripturæ insignes & alicujus momenti in illo opere apparere *ranas nantes in gurgite vasto.*

XXII. *Franciscus Garzia de Valle* Hispanus Jesuita præter concionatorem Evangelicum in lucem emissum Lugduni 1612. 2. Volum fol. *Catenam omnium in universam scripturam Commentariorum* cum aliis Patribus Hispanis molitus est opus vastum *qvadraginta vel plures tomos* impleturum, ut narrat *Gottfridus Henschenius* in vita Joh. Bollandi (præmissa actis Sanctorum T. 1. Martii) Cap. V. ibidem legitur, *Bollandum* a Garzia per literas rogatum, ut aureorum 15000. conqvirat, tantundem D. Liram submini straturum, ut imprimendo operi, qvod Concilii Regii Senatores *glossam Regiam* dici permisissent, daretur initium. *Sed res omnis*, addit Henschenius, *majori animo qvam pru-*

*dentia concepta in fumos abiit, sic tamen ut per Bollandum non steterit, quo minus eo quoque præsidio literati fruerentur, respondente eo, quod operam posset, nam pecuniam addicere.* Ex Nicolao Antonio apparet, hoc opus pertexi debuisse lingva Hispanica. Diem supremum obiit Garzia Madriti

Anno 1656.

## COROLLARIA.

*I.*

*Scriptura S. a Spiritu S. est inspirata.*

*II.*

*Scriptura S. est perfecta.*

*III.*

*Sola scriptura est norma controversiarum fidei.*

*IV.*

*Scriptura S. est perspicua.*

*V.*

*Scriptura S. etiam Laicis competit legere.*

*VI.*

*Libri nostri Symbolici immunes sunt ab erroribus.*

DISS.

Digitized by Google

# DISSERTATIO VI.

## *Librorum utriusqve Testamenti Interpretes, sive Commentatores perpetuos ex Reformatorum Ordine, recensens; Speciatim vero exhibet illa.*

*I. Johannem Calvinum.*
*II. Conradum Pellicanum.*
*III. Franciscum Junium.*
*IV. Emanuelem Tremellium.*
*V. Johannem Drusium.*

### Núm. I.

DE Reformatis Scripturæ Interpretibus dicturis, a qvo potius dicendi capiendum initium, qvam ab eorum Duce antesignano *Johanne Calvino*, qvi Novioduni in Gallia anno 1509. natus & juris civilis primum studiis imbutus tanto cum successu, ut in Aurelianensi Academia ipsi Doctorato insignia absqve ullo pretio offerentur; Postea ad Theologium animum applicuit, comparataqve Hebrææ Lingvæ facultate ad sacras literas interpretandas accessit. Qvas cum per plures annos docuisset Genevæ, obiit anno CHRISTI 1564. ætatis 54. Errorum suorum non minus fervidus propugnator, qvam Pontificiorum, Anabaptistarum, Libertinornm & Antitrinitariorum fortis ac metuendus adversarius: de cujus vita qvi mendaciis delectantur, legant *Hier. Bolsecum*, *Papyrium Masonium* (qvi nec dum Pontificiorum libidini satisfecit, nov[illegible] propterea a *Theophilo Raynaudo* Lojolita Tom. XII,

Opp. p. m. 587. & 635.) & *Emanuelem Vega*: at verio-ra tradiderunt *Theodorus Beza* in vita Calvini (qvam Gallice edidit *Antonius Teisserius*) epistolis præmissa, & novissimæ editioni Opp. Calvini atqve præfationi ad ejusdem Commentarium in Josuam. *Melchior Adamus* in vitis Theologorum exterorum, cujus pleraqve in Theatrum suum transtulit *Paulus Freherus*, qvibus adde *Theodorum Zvvingerum*, *Andream Rivetum*, *Marcum Zuerium Boxhornium*, *Carolum Drelincourtium* & *Alexandrium Morum* in scriptis vel orationibus pro Calvino Apologeticis & *Petrum Bayle* Tomo priore *Lexici Historico-Critici* Gallica lingva nuper editi. Consulendus etiam *Johannes Heinrichus Hottingerus* in Histor. Eccles. Secul. XVI. Part. II. pag. 811. seqq. Edidit *Calvinus* præter Dogmatica & Polemica scripta Commentarios in libros utriusqve Testamenti Universos excepto *Judicum*, *Ruth*, *Poster. Samuelis*, *utroqve Regum & Chronicorum*, *Esthere*, *Nehemiæ*, *Esdræ libris*, *Proverbiis*, *etiam Ecclesiaste*, *Cantico & Apocalypsi*. Ac sane laudatur hoc nomine a *Josepho Scaligero* in Scaligerianis secundis p. 15. qvod in Apocalypsin non scripserit, *Calvinus sapit qvod in Apocalypsin non scripsit*. Commentarii autem Calvini pleriqve sæpius excusi sunt, pars etiam Gallice, Belgice vel Anglice translata, ut jam sufficiat laudasse elegantissimam luculentissimamqve omnium Calvini Operum editionem Amstelodamensem Anno 1667. in fol. novem voluminibus qvorum septem priora meros ferme Commentarios Calvini in Scripturam complectuntur. Non dubium est ingenii acumine, vehementi judicio & eloqventia sin-

singulari pollentem scriptis suis non mediocrem laudem consecutum esse nec apud suos modo sed apud adversarios qvoq;, ex qvibus *Rich. Simon.* L. III. Histor. Crit. V. T. p. 64. *Cum Calvinus sublimi ingenio polleret in ejus Commentario statim occurrit qviddam qvo animus rapitur, cumqve hominem intus & in cute pernosset ethicam exhibet mire placentem qvam & ille qvantum potest textui Sacro conformem reddit. Si minus præiudiciis laborasset & Hæreticarum partium Ducis & Signiferi nomen minime amisisset, utilem profecto Ecclesiæ Catholicæ operam navare potuisset.* Omitto alia qvæ in laudem Calvini ibidem apud *Simonem* leguntur, etsi calumnia est, qvod addit, eum Hebrææ Lingvæ adeo imperitum fuisse ut vix characteres illius nosset, passim enim Commentarii ejus non mediocrem Hebræarum literarum notitiam spirant, ut sane non indignus fuisset Calvinus cujus mentionem faceret *Paulus Colomesius* in Gallia Orientali ubi tamen de illo ne qvidem. Qvod præ cæteris displicuit viris piis solide eruditis etsi ab eodem *R. Simone* pro eximiæ modestiæ & judicii testimonio habetur, hoc est, qvod Calvinus maluit in Commentariis suis innumera Mosis & Prophetarum loca ad mentem Judæorum interpretari, qvam committere ut dogmata de Trinitate vel de CHRISTI persona levibus argumentis contra Judæos & Antitrinitarios probasse videretur. Unde Calvinum eo nomine graviter corripere non dubitavit Vir Summus Theologus Consummatissimus *Ægidius Hunnius* edito libro qvi *Calvinus Judaizans* inscribitur, & interpretationes ejus Judæis & Antitrinitariis favo-

ven-

ventes perſtringit. Neqve qvisqvam negabit utrosqve pariter vituperatione dignos eſſe, qvi ſvadent, ut bona arma abjiciamus & eos qvi velint nos plumbeis mucronibus adverſus hoſtes veritatis decertare. Qvamvis vero Hunnio reſpondere conatus eſt *David Pareus*, qvamvis etiam *Thomas Gatakerus* Adverſariorum p. 69. *ait: Calvino neminem in ſatris explicandis religioſus verſatum eſſe, neminem figmentis magis vel abſtinuiſſe, vel eadem abhorruiſſe, neminem conjecturis incertis & inanibus indulſiſſe minus*; vix tamen unqvam poterunt perſvadere lectoribus ut non ſubſcribant *Richardi Montacutii* judicio qvi Tomo I. Origg. p. 310. *Calvinum*, inqvit, *tela manibus Athletarum pro divinitate CHRISTI, expoſitionibus ſuis excutere non injuria interdum dicitur*. De Commentariis Calvini in Libros N. Fœderis vid. *Richardum Simonem* Lib. III. Cap. L. Hiſtor. Crit. N. T.

II. *Conradus Pellicanus* Rubeaqvenſis Svevus, cum *Kirſchner* prius vocaretur, a *Jodoco Gallo* Pellicanus dictus, eoqve nomine deinde uſus, ex Monacho Franciſcano *Zwinglii* Socius & Theologus Tigurinus, obiit anno 1556. ætatis 78. etſi anno 1558. obiiſſe lego in *Theodori Eberti* Chronologia præcipuorum Hebrææ Lingvæ Doctorum p. 34. Ex *Chriſtophori Urſtiſii* Hiſtoria Baſileenſi. De ejus vita conſulantur præter ea qvæ ipſe ſingulari ſcripto prodidit, *Melchior Adamus* in vitis Theologorum & ex eo *Freherus* in Theatro Virorum Clarorum, *Antonius Theiſſerius* in elogiis Doctorum Thuaneis. Hic itaqve Pellicanus Ebrææ Lingvæ illa ætate inſigniter peritus, qviqve *Hieronymi* edi-

editioni tunc vulgandæ Hebraica (uti *Reuchlinus* Græca) adjunxit, nec pœnitendam operam præstitit in versione Bibliorum Latina qvam vulgo a loco in qvo composita est *Tigurinam*, vocare solemus. Universos etiam utriusqve Testamenti libros excepto Jona, Zacharia, atqve itidem Apocalypsi, Commentariis illustravit; Edita sunt illius opera septem in folii forma voluminibus, qvorum *primum* complectitur Pentateuchum, *secundum* qvæ in Josuam, Judicium & reliqvos libros Historicos commentatus est, *tertium* in Jobum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten & Canticum Canticorum, *qvartum* Prophetas, *qvintum* libros Apocryphos atqve in his tertium qvoqve & qvartum Esdræ librum brevibus Scholiis elucidatos, *sextum* Evangelistas & Acta, *septimum* deniqve Epistolas Apostolicas & indicem Biblicum, præmissa *Bullingeri* præfatione, Tiguri Anno 1665. Qvamvis Pellicani Commentaria utiliter legi possint ab aliis qvi vel sensum scripturæ indagare volunt vel verba coram populo facturi sunt, nescio tamen qvomodo factum est, ut tum aliorum tum Calvini potissimum scriptis illa veluti obliterata fuerunt, ut ea vix a pauciſſimis hodie evolvantur sive qvod ingenio ac eruditione concedunt reliqvis, seu qvod pro captu lectorum plerorumqve *habent sua fata non libelli modo sed vel maxime tanta molis volumina.*

III. & IV. *Franciscus Junius* Biturix Ebrææ Lingvæ & Theologiæ Professor magni nominis in Academia primum Heidelbergensi, post Lugdunensi, vitam suam ipse descripsit, qvæ a *Paulo Merula* in lu-

cem protracta operibus ejus præmittitur, & inter alia docet : illum in juventute propemodum in Atheismum prolapsum, lectione vero *Evangelii Johannis*, Deo cor animumqve ejus illustrante, in rectam pietatis viam revocatum esse: obiit non Altorffii ut *Thuanus* memoriæ prodidit, sed Lugduni Batavorum Anno 1602. ætatis 57. de qvovide qvæ scripsit gener ejus doctissimus *Gerhardus Johannes Vossius* præfatus ad libros de *Historicis latinis*; *Hugo Grotius* Lib. I. Epistolarum, Epistola 163. fol. 61. editionis novissimæ in fol. *Paulus Colomesius* in Gallia Orientali p. 95. sqq. *B. Scherzerus* in Collegio Bibliothecario MS. codice 16. *Franciscus Gomarus* in Parentatione, *Joh. Meursius* in Athenis Belgicis pag. 163. sqq. *Teissierius* in elogiis Doctorum Thuaneis Tom. II. pag. 323. sqq. *Melchior Adami* in vitis Theologorum exterorum, aliisqve. Ab hoc Junio præter innumera scripta Philologici & Theologici argumenti, tum commentarios qvoqve in nonnullos Scripturæ S. libros, qvorum mentio fiet suis locis habemus universum N. & V. Testamentum qvod una cum *Emanuele Tremellio* (Viro Orientalium literarum peritissimo ex Judæo Christiano, Professore Heidelbergensi Anno 1580. denato,) latine transtulit (ita qvidem ut *Tremellius* solus Novum Testamentum verteret ex Syro, *Junius* Apocrypha solus ex Græco: Vetus vero Testamentum junctis operis transferret uterqve ex Hebræo, majores autem Tremellii fuerint partes) brevibus sed minime contemnendis Scholiis illustratum. Notas illas post Tremellii obitum demum *Junius* adjecit Anno 1587. (postqvam nuda versio

Digitized by Google

sio Anno 1678. anno ante Tremellii mortem lucem adspexisset,) non paucis etiam in versione mutatis: atqve inde versio illa, uti sine notis, ita cum Scholiis qvoqve variis locis & formis sæpe prodiit, demum Genevæ Anno 1630. forma Folii excusa sunt *Tremellio Juniana Biblia*, addito locupletissimo indice *Pauli Tossani*. In hac editione scholiis Junii alia qvoqve passim admixta sunt præcipue in N. Fœderis libris ex *Beza*, *Camerario*, aliisqve. *Matthæus* vero *Polus* qvi in Synopsi Criticorum aliorumqve Scripturæ interpretum e Junii qvoqve laboribus profecisse se gratus testatur, *Franciſci Junii*, inqvit, *scholia brevia qvidem sed eruditione multifaria & summo indicio limata, cujus vel pauca verba ingentia aqvant aliorum volumina. Junii labores non spernendos dixit Hugo Grotius recte sane, at addere potuisset & addent qvotqvot Junii labores aqvis oculis usurpaverint plurimi æstimandos, & imprimis interpretum subsellis collocandos.* Conf. *Josephi Scaligeri* Judicium, *ab Apostolorum temporibus hactenus parem Theologum Junio nullum vidisse seculum, & Constantini L. Empereur*, *Joh. Livineleti* elogia Juniana ap. *Thomam Gatackerum* cinni p. 267. qvibus ipse subscribit, etsi interdum a Junii sententia recedere se testatur. Junium post Tremellii mortem cum sæpius commune opus ediderit in singulis fere impressionibus multa immutasse & sæpe in pejus, notat *Arnoldus Bootius* in indice authorum animadversionibus sacris præmisso. Vide etiam *Johannem Latum* Histor. Universal. p. 488. Merito etiam hic injicienda mentio est operis qvod idem Junius edidit & *Parallela* inscripsit *sacra*. In hoc enim

utiliſſimo ſane inſtituto loca univerſa Veteris Inſtrumenti qvæ in Novo allegantur diligenter collegit atqve Hebræa cum Græcis, Græca viciſſim cum Hebræis ſtudioſe comparans non mediocrem pluribus utriusqve Fœderis locis lucem attulit & variis incredulorum, Judæorum præcipue objectionibus feliciter occurrit. Qvo de non poſſum non meis qvoqve inculcare, qvod a *B. Scherzero*, Præceptore meo accepi Collegii Bibliothecarii Codice XVI. *dignum profecto ſcriptum eſt, qvod diligenter evolvatur, qvodqve B. Hülſemannus aliiqve Præceptores noſtri ſæpe ſæpius nobis ſolebant commendare.*

V. Extat & geminus labor Viri inſignis *Johannis Druſii*, alias *Van der Drieſche* dicti, patria Aldenardenſis in Flandria, Profeſſoris Sacræ Lingvæ Leidenſis & poſt Franeckerani doctiſſimi, atqve de Sacrarum Lirerarum ſtudiis præclare meriti, anno ætatis 66. CHRISTI 1618. (non 1606. ut legas in *Theodori Eberti* Chronologia celebrium lingvæ Ebrææ Doctorum p. 44. qvi p. 42. falſo etiam tradit *Franciſcum Junium*, de qvo ante diximus ex hac vita diſceſſiſſe anno 1592.) denati. Hujus *Druſii* vita ab *Abele Curiandro* ipſius genero enarrata ſubjicitur parti alteri annotationum Druſii in N. T. legiturqve præter in *Henningii Wittenii* Decade ſecunda memoriæ Philoſophorum p. 106. vide etiam *Meurſii* Athenas Batavas pag. 253. ſeqq. & *Petrum Bælium* Tom. I. Lexici Hiſtorico-Critici, ut *Franciſcum Sivertium*, *Valerium Andreæ*, *Paulum Freherum* & ſimiles omittam. Hic itaqve Druſius præter *Parallela ſacra* ſeu locorum V. T. cum iis

qvæ

qvæ in Novo citantur conjunctam commemorationem, Ebraice & Græce cum Notis, Franeckeræ primum anno 1688. in 8. typis exscripta, deinde Tom. VIII. Criticorum Anglorum inserta, complura scripta edidit ad illustrationem Librorum Sacrorum utriusqve Testamenti fere omnium facientia, qvæ hoc loco paulo diligentius commemorabimus. Habemus enim ab ejus manu *Proverbiorum Sacrorum classes duas* Franeckeræ anno 1590. 4. in lucem emissas & inter Criticos Tom. VIII. hinc a *Johanne Heinrico Heideggero* subjectos Apparatui Biblico Waltoniano, recuso Tiguri anno 1673. in fol. Neqve obscurum est, hoc opere strenue usum *Martinum Delrionem* Jesuitam in adagiis sacris, etsi nullam propemodum ipsius mentionem facere dignatus est. Extant præterea Drusii *Observationum Sacrarum Libri XVI.* Franeckeræ anno 1594. in 8. *Ebraicarum Qvæstionum Libri III.* Lugduni Batavorum anno 1586. & Franeckeræ anno 1599. in 8. *Centuriæ duæ Miscellaneorum*, qvibus locutiones sacræ explicantur; ibidem anno 1586. 8. *qvæsita per epistolam* ibidem anno 1595. in 8. Qvæ qvinqve opuscula una cum libellis *de nomine DEI Elohim, tetragrammato, de Patriarcha Henoch* (ubi etiam *de Libris in Scriptura memoratis, qvi pridem perierunt*, agitur) recusa sunt eodem Tomō VIII. Criticorum Anglorum. De industria omittimus, ut aliena ab hoc loco: *Grammaticam Drusii Chaldaicam, variaqve opuscula ad Grammaticum spectantia*, in qvibus de variis lectionibus Judæorum Orientalium & Occidentalium, *Alphabetum Ebraicum vetus &c.* tum *notas in sulpitium Severum*, &

*Ebræorum Arabumque apophthegmata*; restant enim commemoranda Commentaria in plerosque Libros Biblicos: *ad difficiliora loca Pentateuchi* Franeckeræ anno 1617. in 4. *in Josuam, Judices & Samuelis Libros Commentarius* 1618. 4. *nova versio & Commentarius in Librum Ruth & in versionem Græcam notæ, subjecta tractatu: an Ruben mandragoras invenerit?* ibid. 1586. 8. Amstelodami 1632. 4. *in Estheram* ex Interpretatione Pagnini annotationes & additamenta apocrypha Latine e Græco conversa & Scholiis illustrata Lugduni Batavorum Anno 1586. 8. *nova versio & Scholia in Jobum* Amstel. Anno 1636. 4. *annotationes in Coheleth* Amstel. 1635. Commentarius *in duodecim Prophetas* & in Græcam eorum versionem conjectanea Amstel. 1627. 4. ex quo opere ante seorsim lucem aspexerant prælectiones *in Amosum* Lugd. Batav. Anno 1600. in 8. & *in Jonam* 1591. & *in Hoseam* ibid. Anno. 1599. & *in Nahum, Habacuc, Zephaniam, Joëlem, Jonam, Obadiam* ibid. A. 1595. 8. *Tobias Græce cum notis* Franecker. Anno 1591. in quarto. *Proverbia Ben Sira* quem multi eundem cum *Siracide* esse putant, ut *Bertramus* in Lucubrationibus Franckentalensibus Cap. V. *Hugo Grotius, Hottingerus*, Resp. *David Ganz* in Tzemach David pag. 65. sqq. sed perperam vide *Gvilielmi Heinrici Vorsii* notas ad d. l. pag. 254. *Drusium* ad Ecclesiastici Cap. XXV. 28. *Nicolaum Serarium* in Epistolam primam Sancti Bonifacii, (sane in *Schevet Jehuda* p. 3. seqq. editionis *Gentii* Ben Sira dicitur vixisse demum post Augustum Imperatorem.) Illius itaque Ben Siræ proverbia *Drusius* post *Fagium* Ebraice edidit latine-

que

Digitized by Google

qve conversa Commentario illustravit additis *aliqvot decuriis Proverbiorum Hebraicorum* Franeckeræ Anno 1596 in qvarto, & Tom VIII. Criticorum Anglorum extat & *liber primus Maccabæorum cum nova versione & notis Drusii & Alberici Gentilis* pro eodem libro Apologia Franeckeræ A. 1600. in qvarto. Ut librum de *Hasidæis* qvorum in eodem Maccabæorum Cap. II. 42. mentio fit & de tribus sectis Judæorum *Nic. Serario* Lojolitæ oppositum, præteream. Deniqve lucem adspexerunt *annotationum in totum N. T.* sive *præteritorum libri X.* qvibus præter alia prioribus interpretibus *Bezæ, Camerario*, aliisqve haud observata ac veluti *præterita*, consensus Synagogæ Israeliticæ cum Ecclesia Christiana ostenditur. Franeckeræ An. 1611. in qvarto. (Qvibus utiliter adjungi possent *Præterita Præteriterum* insigne opus qvod Præceptor meus in Orientalibus *D. Balthasar Scheidius*, magno labore perfecit, qvodqve ineditum ipsumqve adeo auctoris autographum ipse possideo) *Ad voces Ebraicas N. T. Commentarii duo* qvorum posterior jam prodierat Antwerpiæ ap. Plantinum Anno 1582. & *pars altera annotationum in N. T.* Franeckeræ Anno 1616. 4. Commentarii isti Drusiani pleriqve suis locis dispositi in Tomis Criticorum Anglicorum recusi sunt, cumqve auspiciis Ordinum Hollandiæ non paucos Libros Biblicos etiam prolixioribus, sed hucusqve ineditis illustraverit Commentariis Vir ille doctus etiam hæc adjecta sunt novæ eorundem Criticorum editioni, qvæ jam in Belgio prodiit. Constat qvoqve ex Drusii scriptis excerpta bene multa legi in synopsi

nopsi *Matthæi Poli* Londinensis. In *Indice* autem *Romano* tantispes prohibiti sunt ejusdem Commentarii donec expurgentur. Non omittendum eximium Drusii opus *fragmenta* scilicet *Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & aliorum Græcorum Interpretum in singulos Libros V. T.* post *Flaminium Nobilium*, qvi in Scholiis ad editionem Bibliorum Græcorum Romanam idem tentaverat; longe diligentius collecta & Commentariis illustrata. Ex his *fragmenta in Psalmos* a Drusio ipso edita Antwerpiæ anno 1581. 4. sed totum opus post auctoris fata demum a *Sixtino Amama* in lucem protractum Franeckeræ 1629. & Arnhemii 1622. A qvo tempore *Brianus Waltonus* fragmenta illa, sed omissis Drusii Scholis inter notas *Nobilii* inseruit exhibuitqve Tom. VI. Biblioru m Polyglotton. ex Præfatione Drusii in *præterita*, ubi præmaturum filii sui supra ætatem eruditi obitum luget; Constat eum præterea elaborasse; sed qvæ lucem hactenus minime viderunt *Lexicon Theologicum*, *Onomasticum Sacrum*, *Dictionarium Hebraicum ex septuaginta, Hieronymo, Aqvila, Symmacho, Theodotioneqve* collectum, item *Hellenisticum*, *Chaldaicum*, *Syriacum Syriacis characteribus descriptum*, *Talmudicum*, *Rabbinicum*, *Arabicum*. Adrianus qvoqve *Bailletus* in judicio qvod de præstantissimis qvibusqve Scriptoribus Gallica lingva edidit T. I. p. 499. refert a Drusio scriptum librum *de verbis qvæ ex Oriente in Occidentales lingvas transmigrarunt*. Ipse qvoqve Drusius in Parallelis Sacris ad Actor. Cap. II. 20. citat. *notas suas & castigationes in Græcam Psalmorum translationem* & ap. *Balthasarem Becke-*

*Beckerum* manu exarata exstat *collatio præcipuorum Scripturæ versionum*, qvam Drusius jussu Ordinum Illustrissimorum composuit, ut novæ Belgicæ Bibliorum versioni tanto accuratius consignandæ inservirent, qvamqve ne publico invideat, rogatur *Beckerus* a Clarissimis *Actorum Eruditorum* Collectoribus Anno 94. pag. 194. Scripta tanti viri merito suo maximi fiunt a viris doctissimis & commendanda omnibus, qvi serio proficere cupiunt in studio Sacrarum Literarum, ut qvod ille olim de *Cicerone*, hoc *Jacobus Focanus* p. 236. Dissertationis, qva studiorum rationem exponit, de Drusii lucubrationibus pronunciare veritus non fuerit: nempe *illum aliqvando in Ebræa lingva & Theologia fore magnum, cui Drusii scripta placere cœperint*; Sane *B. Geierus*, *B. Glassius* aliiqve ex nostris, qvi in hoc genere literarum cum admiratione versati sunt, passim grati, nec sine laudis præfatione indicant, ex *Drusii* scriptis se non mediocriter profecisse, ut omittam, qvæ a suis ei passim tribuuntur Encomia. In qvibus præ cæteris multi sunt *Sixtinus Amama* & *Abel Curiander*, qvi tamen nihil affectui dedisse videri possunt, cum easdem laudes veritas expresserit etiam nasutissimo alias qva Veterum, qva recentiorum Censori & Aristarcho, *Richardo Simoni*, qvi inprædicando Drusio prolixus est in Histor. Critica, tam V. qvam N. Testamenti & in responsione ad Illustris *Ezechielis Spanhemii* Epistolam p. 658.

*Sive Theſes, juxta ſeriem XXI. Articulorum Aug. Confeſſionis diſpoſita Ex Articulis VII. prioribus.*

DEUM in eſſentia unum in Perſonis vero trinum eſſe, ex utroqve tam Veteri, qvam Novo Teſtamento probari poteſt.

II. Peccatum originale non nudam ſolum boni privationem, ſed contrarii qvoqve vitii poſitionem infert.

III. CHRISTUS verus eſt DEus per æternam DEI Patris Generationem, itemqve verus homo per nativitatem matris Mariæ Virginis, in tempore factam.

IV. Sola juſtificamur fide ſine operibus.

V. Solum Miniſterium verbi & Sacramentorum eſt medium, fidem in cordibus hominum excitandi.

VI. Opera ſupererogationis non bona, ſed mala ſunt opera.

VII. Eccleſia ſive cœtus ſanctorum & fidelium in toto orbe nonniſi una eſt eademqve invivisibilis.

DISS. VII.

Digitized by Google

# DISSERTATIO VII.

## De
## *Commentariis in Sacrum Codicem.*

*VI. Johannis Piscatoris.* | *vici atqve Jacobi Capellorum.*
*VII. & VIII. Fratrum Ludo-* | *IX. & Johannis Lightfooti.*

### VI.

POst *Drusium* minime prætereundus *Johannes Piscator* Argentinensis, qvi cum Philosophiam sacrasq; literalis in Schola Herbornensi per plures annos docuisset, obiit octogenarius Anno 1626. ut tradit. *Freherus* pag. 426. ex parte secunda vitarum collectarum a *Johanne Jacobo Boissardo* seu potius Anno 1625. uti *Henningius Witte* in Biographia, & ex *Adriani Regenvolscii* Systemate Historico Chronologico Ecclesiarum Schlavonciarum. *Gvilielmus Crewaus* in elencho interpretum Scripturæ Sane Anno 1613. die Martii vigesimo septimo Piscatorem natalem suum sexagesimum septimum celebrasse patet ex *Abrahami Sculteti* vita pag. 67. & rem extra omnem disputationis aleam ponit in funere Piscatoris dicta a *Georgio Pasore* & anno 1625. Herbornæ edita Oratio. Hic igitur Piscator præter Germanicam versionem sacri Codicis, de qva in *Historia versionis Lutheri* plurima a nobis dicta sunt, præter alia scripta Theologica, & Philosophica, & in his commentarios qvoqve ad nonnullos Scripturæ Libros suis locis commemorandos, *Analysin*, *Scholia* & Observationes in integram

Scripturam edidit. *Franciſci Junii* verſione primum uſus, deinde ſuam novam ipſe qvam adornavit latinam translationem præferens, in qva uti in notis qvoqve non pauca *Junii* emendat corrigitqve non ſine judicio ut *Matthæo Polo* videtur, qvi *Scholia Piſcatoris acuta ſæpe & ſolida expertum ſe eſſe* teſtatur Præf. ad T. I. *Synopſ. Critic.* Prodierunt illæ Piſcatoris ad Scripturam obſervationes pluribus primum voluminibus in octavo ordine *Herbornæ* 1605. ſeqq. Deniqve tribus in folii forma ibid. 1646. Piſcatorum *Gvilielmus Twiſſus* in Vindiciis Elect. Lib. I. Part. II. Digreſſ. 8. p. m. 254. hoc elogio colit. *At nunc cum graviſſimis ex noſtra profeſſione Theologis, mihi dimidicandum eſſe video, & qvod me maxime cruciat, tum reverendo illo Theologo D. J. Piſcatore; de cujus doctrina atqve eruditione ſacra, qvam ſancte ſentiam, qvam ſublimiter, equidem paucis explicare non poſſum. Tantum dicam, vere ſuſpiciendum mihi eſſe illum Theologum, qvi ſola ſacrarum literarum profeſſione, communibus tantum diſciplinis in ſubſidium vocatis; Grammaticam dico, Rhetoricam, & Logicam, in qvibus eminet, adeo accuratam Theologicæ non vulgariter, ſed ſcholaſtice tractandi rationem aſſecutus eſt, ut vix inter Scholaſticos ipſe parem, certe agnoſcere non poſſum ſuperiorem, qvaſi in ipſo curioſo hoc ævo, & ſecularis eruditionis cum ſacra confundendæ nimium ambitioſo, exemplum extare voluerit Pater clementiſſimus, qvo demum accurata & Scholaſtica in rebus ad ſalutem conducentibus eruditionis, vel ex ſola ſacrarum ſcripturarum lectione, aſſidua meditatione, in eaſqve commentatione provehi poſſimus, miſſis iſtis Summi-*

*ſtis,*

*tis, Sententiariis, & Scholasticis ad unum omnibus. Quo circa lubens profiteor, operam istam mihi cum primis molestam esse, quod videam cum Tanto Theologo mihi congrediendum esse. Non quia me dolet erroris alicujus coargui: hoc enim a quocunque fieret, mihi salubre fieret, a Piscatore vero etiam honorificum. Sed ab ipso, unaque ab aliis etiam gravissimis Theologis nostris dissentire me, quod quidem futurum augurer, id vero valde molestum est.*

*Calovius* etiam noster, utiliter, modo cum judicio id fiat, Piscatoris Scholia adhiberi posse neque suis privanda laudibus censet Bibl. Illustr. f. 110.

VII. & VIII. Jam deveniendum est ad par fratrum celeberrimum *Ludovicum & Jacobum Capellos*. Quorum ille minor natu, Hebraicæ Lingvæ & Theologiæ Professor in Academia Salmurienſi, *Bochharti* & tot aliorum doctissimorum virorum Præceptor, natus 1585. ob famam singularem & longe maximam quam tot editis scriptis amicos inter & adversarios sibi comparavit, priori dicendus loco. Cave autem eum confundas cum *Ludovico Capello*, nostri patruo, Theologo Sedanensi & Professore ex primis novæ Lugdunensis in Belgio Academiæ Anno 1575. cujus expressam æneam tabulam imaginem & vitam breviter descriptam exhibet *Johannes Meursius* in Athenis Batavis pag. 247. seqq. Ille porro de quo in præsenti agere cœpimus *Ludovicus Capellus*, vitam suam & fratris sui ipse descripsit, quæ operibus illorum posthumis præmittitur. Cui opera illa ad manus non sunt, evolvant *Acta Eruditor.* An. 89. p. 381. 382. ubi stemma Genealogicum Gentis Capellorum obviam est. Obiit Anno

CHRISTI 1658. ſuæ ætatis 73. ſucceſſore in Profeſſione Lingvæ Hebreæ dato Filio *Jacobo* novendecim annorum juvene, ſed qvi poſtea propter religionem e Gallia pulſus exul, in Anglia larem fixit patrisqve ſui & patrui ſcripta Archi-Epiſcopo & Præſulibus Angliæ dicata, in lucem edidit Amſtelodami Anno 1698. fol. Fuſe etiam ait *Colomeſius* in Gallia Orientali pag. 223. ſqq. ut omittam judicia de Capello collecta *a Thoma Pope Bolunt.* Hic vero a nobis h. l. commemoratus potiſſimum ob notas & animadverſiones Criticas qvibus utriusqve inſtrumenti libros illuſtravit. Qvoniam tamen in reliqvis qvoqve ſcriptis paſſim ſacræ paginæ lucem ſtudet affundere, vel in ſcripturæ loca, criticam non raro ſæpe liberam periculoſiſſimamqve exercere, operæ pretium putavimus accuratum & pleniorem catalogum, additis hinc inde non protritis doctorum judiciis hoc loco ſubtexere.

Præter inedita igitur de qvibus *Jacobus* filius in limine Opp. poſthum. Patris videatur, hæc Ludovici ſcripta in lucem publicam emiſſa extant.

*Notæ Criticæ in plerosqve libros V. Teſt.* qvibus verſio præcipue Græca LXX. interpretum cum Ebræo confertur.

*Notæ Criticæ in plerosqve libros Apocryphos* inqvibus freqventer caſtigatur verſio eorundem librorum latina qvæ a vulgo nomen habet.

*Commentarius uberior in Caput. LIII. Eſaiæ.*

*Commentarius in Abdiam, Michæam, Nahumum, Habacucum, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam.*

*Commentarius in octo capita Geneſeos* a ſecundo ad no-

nonum usqve, ubi prolixam videre est insertam *de Sabbato dissertationem.*

*Zoharis Cabbalistica expositio initii Cap. II. Geneſ.* tum seorsim tum inter opera posthuma p. 308. vulgata, qvem librum notat Gatakerus Lib. III. C. IV. " Adversar. p. 424. Ludovicum Capellum inqvit, eum " eruditionis variæ tum pietatis nomine cum summo- " pere suspiciam, miror impense animum inducere " potuisse ut in Rapsodi Judæuli illius nugamentis " putidissimis næniisqve futilissimis qvibus paginæ " sacrosanctæ dicto irreverentissime atqve irreligio- " sissime habetur, dum ab impio atqve impuro ne- " bulone, qvo ingenioli sui inficetissimi atqve ine- " ptissimi vanitatem exerceat exeratqve, miserrime " deartuatur, tum tanqvam fidiculis adhibitis hic il- " luc torqvetur, & ad Vertumni Proteive instar in fi- " guras alias ab aliis transire, ac qvasi (*ein Porzenellichen* " *das sich ziehen laſt wie man will,*) *nevrospaston* ludi- " crum aliqvod, formas qvasvis induere cogitur, " recensendis explicandisqve horas bonas tot collo- " caret eisqve illustrandis operam daret, qvæ tene- " bris extimis una cum autore suo addicta potius o- " portuerat. Qvin nec religiosius paulo etiam ci- " tra superstitionem affectis probaturum existimo " studium suum, qvo ad historiam sacram in allego- " rias diducendam tam sollicite seduloqve cohorta- " tur Theologiæ Studiosos, qvo utiqve qvidlibet ex " qvolibet defingendi ansa datur; petulantibus in qvo " libere, pro lubitu exparientur ingeniis campus am- " plissimus porrigitur. *Hac Gatakerus.*

*Abra-*

*Abraamus, Isaacus, Jacob, Esau* ἀλληγορέμενα in Opp. posthumis pag. 389.

*Josua* ἀλληγορέμενον ibid. pag. 416.

*Simson* μυθολογέμενον ibid. p. 426.

*Spicilegium notarum in libros Novi Testamenti.* Editum primum Salmurii cum Myrothecio Cameronis 1628. 4. Genev. 1632. 4. Deinde cum fratris in Novum Testamentum observationibus Amstelod. 57. 4.

*Amica collatio Epistolica cum Joh. Cloppenburgio* de die qvo JESUS CHRISTUS & qvo Judæi comederint agnum Paschalem, & de Sabbato Devteroproto, & de Immanuele nascituro. Amstelod. 1643. 12. & inter Criticos Angl. Ἐπίκρισις de ultimo CHSISTI Paschate & Sabbato devteroproto. Amstel. 1644. 12.

*Historia Apostolica illustrata, cum compendio Historiæ Judaicæ & expositione ordinis Epistolarum Pauli* Genev. 1634. Salmur. 1683. 4. tum Lipsiæ 1693. 8. & inter Criticos Angl. T. IX. Historiæ Judaicæ compendium Melchior Leydeckerus qvoqve Hornii Historiæ Ecclesiasticæ subjecit notisqve illustratum continuavit usqve ad Annum 1687. Lugd. Bat. 1687. 8.

*Templi Hierosolymitani triplex delineatio, ex* mente Josephi, Talmudicorum scriptorum & Villalpandi T. IX. Critic. Angl. & in prolegomenis Polyglotton Waltonianorum, & qvæ Tiguri qvoqve recusa esse curante Heideggero, jam supra diximus.

*Chronologica sacra* Paris. 1655. 4. inter eadem prolegomena Polyglotton Londinensium.

*De antiqvis Hebræorum literis* Dissertatio, qva ostendi-

ſtendere conatur, genuinos antiqviſſimorum Hebræorum characteres fuiſſe non qvibus hodie Judæi utuntur, ſed qvos Samaritanos vulgo dicimus. Amſtelod. 1645. 12. Confutata eſt hæc ſententia luculenter *a Joh. Buxtorfio* filio in Diſſertationibus Theologico Philologicis. Diſſ. IV. ab Hottingero in Exercitationibus Anti-Morinianis, a B. Wasmutho noſtro, aliisqve. Confer. *Stephanum Morinum* de lingva primæva Diſſ. II. & Ezech. Spanheimium de uſu & præſtantia numiſmatum pag. 67.

*Arcanum punctationis revelatum* ſine Autoris nomine a Th. Erpenio editum Lugd. Bat. 1624. 4. & una cum prolixis vindiciis contra Joh. Buxtorfii Diſſert. de punctorum antiqvitate, in operibus poſthumis recuſum. Qvam plurimos in hac ſententia Capellus aſſeclas & defenſores nactus ſit (ex qvibus hos triumviros imprimis nominare juvat *Joh. Morinum* in Exercitat. Bibl. *Brianum Waltonum* in Prolegom. ad Biblia polyglotta, & *Stephanum Morinum* Exerc. III.) Qvam acriter contra repreſſus ſit & impignatus a *Buxtorfio*, Buxtorfiiqve hyperaſpiſtis *B. Waſmutho* imprimis & *Joſepho Coopero* Anglo,, neminem latet, Anno 1678. Capelli qvoqve ſententia damnata publice ab *Helvetiis*, concepta formula, *qvam omnes futuri Paſtores ſubſcribere tenebantur*, qvod inſtitutum improbatur a *Thoma Burneto* p. 152. ſeqq. Itinerarii, & *Johanne Clerico* in judicio de Hiſtoria Critica. Rich. Simonis pag. 440. ſeqq. Hoc loco autem ſufficiat *Alexandri Mori* judicium de hac controverſia adſcribere ex *libro de Scriptura* p. 69. Hactenus in punctorum

rum Hebraicorum origine duo maximi Magistri desudant, qvorum alter arcani punctationis autor (cui nos multum profitemur debere) limatissimo vir judicio, & undecunqve doctissimus: huic arcano veluti fundamento Criticam sacram instruere molitur, opus qvantivis pretii, sed a multis Zelo DEI flagrantibus etiam heic Genevæ reformidatum, qvia exorituros augurantur aliqvos qvibus oves CHRISTI qvam huic duci optimo minori curæ futuræ sunt, & qvi gladium qvem ille feliciter vagina eripit adversus hostes, arreptum ex ejus manu matris Ecclesiæ transadigunt costas: itaqve mallent in vagina latuisse conditum, ne qvis forte dicat aliqvando, *Non meus est hic gladius, non, verum Ægonis*, (Ægon Græcis notat capellum ab αἴξ αἰγὸς, Capella) *nuper mihi tradidit Ægon.* Liceat enim nobis ita nomeo qvod ex animo colimus alludere. Alter (*Buxtorfius*) non Basilæ modo suæ sed Helvetiæ totius totiusqve Orientis magnum Decus atqve lumen, vir demerendo publico natus, ex adverso refragatur & piis bene multis gratum facturus, adversus arcanum illud qvod inexpugnabile creditur a summis viris ne de nobis jam loqvamur, copias parat.

*Si Pergama dextra defendi possent, etiam hac defensa fuissent.*

Hoc enim ad ejus laudam tametsi non vicerit perpetuo sufficit, qvod pro virili tutandæ omnimodæ integritati fontium atqve canonis pugnaverit, adeoqve sollicite, ut ultra qvam citra stare malverit. Qvod interea sic nolumus accipi, qvasi Pergama nostra

Digitized by Google

ſtra corruitura cum punctis eſſent, ac Sionis mœnia: qvandoqvidem in eo demonſtrando ſumus, ſi non puncta ſunt ab humano perfecta ingenio, continuo veritatem neceſſariam & fidei regulam nobis a ſanctis traditam, in magno diſcrimine verſari. Tantum hoc voluimus, nec illius nec hujus propoſitum exagitari, aut ſiniſterius accipi debere. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Hactenus Alexander Morus.

Juvat hic notare *Lipenii*, To. II. Biblioth. Theol. errorem, qvi arcanum punctationis revelatum *Erpenio* tribuit, cum is tantum modo editor fuerit. Qvemadmodum & apud eundem p. 615. perperam excuſum *Lud. Capellæ arcanum punctationis revelatæ*.

Seqvitur nunc inter ſcripta *Lud. Capelli* CRITICA SACRA, ſive de variis qvæ in ſacris V. T. libris occurrunt lectionibus *Libri Sex* ab autoris filio *Johanne Cappello* in lucem edita Pariſ. 1650. de cujus editione ait *Richardus Simon* Hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. I. *Ludovici Capelli Miniſtri & Profeſſoris Salmurienſis liber inſcriptus Critica Sacra omnium ſane eruditiſſimum tum de variis lectionibus, tum de aliis immutationibus librorum Veteris Teſtamenti opus, hactenus extat. Eqvidem ſua ſecta hominibus ingratum adeo & exoſum fuit, ut illius editionem impedierint, donec Johannes Capellus Autoris Filius, qvi & non ita pridem Catholicam fidem amplexus erat, a Rege Privilegium & Diploma qvod illi paternum opus edere licebat impetraverit. Morinus Presbyter Congregationis Oratorii huic editoni operam ſuam impendit, ratus hac in parte ſe Eccleſiæ Catholicæ adverſus Calvinianos cauſam & fidem egregie promovere. Proſtat opus Lutetiæ*

*Parisiorum, & a Cramoisi Anno 1660. editum fuit.* Sed & *Sarravium* suam in promovenda scripti promulgatione operam contulisse in epistolis gloriatur.

Hanc priusqvam vulgaretur & non nisi manu exaratam evolvisset, vel tantum ab aliis ex eadem relata accepisset, doctissimo *Ante-Critica* opere refellendam sibi sumsit *Jo. Buxtorfius* Filius, etsi textus omnes de qvibus agit Capellus, per integros triginta annos huic operi suo insudans, neqvaqvam excusserit, sed eximios duntaxat nonnullos attigerit, ut ex illis de reliqva variarum lectionum farragine a capello collecta & in immensum præter rem multiplicata, Lector simile ferret judicium.

Ebræorum codicum causam itidem adversus Capellum egere ex Anglis *Jacobus Usserius & Arnboldus Bootius*, qvorum utriusqve duabus Epistolis Apologeticis Salmurii, 1651. 1652. 4. editis, respondit. *Buxtorfio* opposita est defensio, qvæ ad calcem Criticæ p. 559. seq. excusa legitur

*Qvæstio de locis parallelis Veteris & Novi Testamenti* fuse & solide refellit nescio cujus dissertatiunculam in qva autor ejus probare conabatur *Græcos Bibliorum interpretes secutos esse versionem Apostolorum*, non Apostolos versionem Græcorum in Ecclesiis tum receptam. Occurrit ad calcem Criticæ p. 443. sqq.

*Ad librum cui titulus est, nova Davidis lyra, animadversiones* Salmurii 1643. 12. & ad calcem Critiæ p. 651. sqq. oppositæ sunt Francisco Gomaro cujus nova Davidis lyra Lugd. Bat. 1637. 4. & inter ejus opera Part. II. p. 313. sqq. excusa versus Jambicos, Choriambicos, aliosqve

in

in Psalmis ostendere, adeoqve Poëśi Veterum Hebræorum lucem præferre visa est: Capellus autem facile docuit totam illam versuum rationem a Gomaro excogitatam commentitiam esse, nihilqve promtius qvam in libris V. T. qvibuslibet, etiam omnium confessione non Poëticis, similes versus reperire.

*Diatriba de nomine Elohim*, qvod eo tacite in sacris literis innuatur SS. Trinitatis mysterium, adversus Judæos. Ad calcem Criticæ pag. 666.

*De nomine Tetragrammato ejusqve genuina pronunciatione* adversus Fullerum & alios, qvi *Jehovah* efferunt, qvam pronunciationem recentem & a Galatino autore profectam, genuinæqve ac veteri qvam *Jahvoh* esse putat, male prælatam esse contendit. Hanc Capelli dissertationem cum Thomas Gatackerus singulari Londini, 1645. 12. publicata & nuper in Belgio una cum ejus Adversariis altisqve scriptis in fol. recusa impugnasset, autor defensionem sententiæ suæ edidit, qvæ una cum ipsa dissertatione (pridem Anno 1625. cum arcano punctationis vulgata) occurrit ad calcem Criticæ p. 690. seq. 713. sqq.

*De Ecclesia Christiana supra Judaicam prærogativis*, inter Opp. posthuma pag. 213.

*De statu animarum post mortem*, qvod nec dormiant animæ ut Psychopannichitis videtur neqve tamen ita perfecta & omnibus numeris absoluta statim beatitate fruantur, ut in die extremo nihil eorum gaudio accedere dici possit. ibid. p. 243.

*Theses Theologicæ* de variis capitibus fidei Christianæ, in Syntagmate Dissertationum Salmurienśium

inter alias *Moſis Amyraldi*, & *Joſuæ Placæi* (Sociniano-rum mallei, cujus ſcripta nuper in Belgio recuſa) Salmurii Anno 1651. 1665. 4. & Genevæ. Deniqve lingva Gallica *Pivot de la foi*, ſive *Cardo fidei*, Probatio Numinis adverſus Atheos & Profanos, Salmurii 1643. 12.

Hiſce Ludovici Capelli lucubrationibus qvæ diutius nos forte detinuerunt, fratris deniqve majoris natu *Jacobi* ſcripta ſubjicere par eſt, qvi Sedani paſtoris munere functus in eadem Sedinenſi Academia Theologiam non minus & Ebræas literas per plures annos docuit non levi cum applauſu, vir qvippe non minus doctiſſimus, atqve ut *Deſiderio Heraldo* ad Tertulliani Apologeticum audit, *divinarum humanarumqve rerum cognitione præſtantiſſimus*. De qvo præter Ludovicum fratrem in vita operibus poſthumis præmiſſa, *Colomeſius* in Gallia Orientali p. 157. ſeqq. conſuli poteſt, qvi tamen perperam affirmat eum circa Annum 1633. obiiſſe, cum ex Ludovici fratris teſtimonio conſtet, eum fatis conceſſiſſe ſeptimo Iduum Septembris Anni 1624. Ab hoc itaqve Capello habemus *Obſervationes in ſelecta Pentateuchi loca &, in reliqvos Veteris Teſtamenti libros univerſos*, poſt obitum demum inter opera poſthuma Anno 1689. a fratris filio in lucem emiſſas, & varia eruditione Rabbinica præſertim & Talmudica refertas. *Bochartus* præterea in Phaleg. p. 35. ex inedito hoc Capelli Commentario in Geneſin qvædam profert ad Geneſ. XI. 2. qvæ in hiſce obſervationibus non leguntur, ubi eum affinem ſuum & de ſe optime meritum vocat.

Ob-

*Observationes in Novum Testamentum* (exceptis Actibus Apostolorum & Apocalypsi Johannis) octo & viginti post autoris obitum annis a fratre Ludovico in lucem editas Amst. 1657. 4. qvi testatur se hac editione voluisse ac debuisse veluti parentare ac justa facere *piis manibus amantissimi fratris, cui plurimum imo pene omnia debere me ingenue profiteor, utpote, qvi mihi ab ipsa prima atqve ineunte puerili ætate fuit semper & parentis & præceptoris vice & loco.* Hasce observationes in qvibus Epistola ad Ebræos præcipue fuse & diligenter illustratur, Angli paulo post una cum *Ludovici Capelli* spicilegio, de qvo supra diximus, recuderunt in Criticis sacris, neqve diffitetur *Rich. Simon.* Lib. III. Hist. Crit. N. T. Cap. 52. Jacobi Capelli famæ alias hoc loco non mediocriter iniqvus, ex iis facile perspici Autoris plusqvam mediocrem lingvarum Græcæ & Ebraicæ notitiam.

Non exiguam etiam lucem variis Scripturæ locis attulit Jacobus Capellus in *Historia sacra & exotica* ab Adamo usqve ad Augusti ortum, Sedani 1612. 4. ut alia ejus scripta omittam, qvalia sunt *de ponderibus & mensuris*, de qvo argumento justum opus post obitum in scriniis reliqvit, qvo veterum Hebræorum præcipue Græcorum & Latinorum mensuras accurate exposuit. *Rhetorica* variis e Scriptura exemplis illustrata, Sedani 1620. 8.

*Historiæ Ecclesiasticæ Centuriæ qvinqve* ab Augusti ortu ad Imp. Valentinianum tertium, in qvibus Baronium non raro reprehendit, præmissa *Historiæ Synopsi* ab orbe condito ad A. 1622.

Epo-

*Epocharum illustrium* διασάσιμοι cum explicatione difficilium aliqvot Scripturæ locorum, cui subjuncta est in Apocalypsin Johannis σύνοψις συζητητική Sedani 1605. 4. Vulgavit & alia sed parum facientia ad nostrum institutum & qvæ una cum ineditis ejus operibus variis à fratris filio ante opera posthuma recensentur.

IX. Pergimus nunc ad Virum consummatissimæ in literatura Rabbinica & Talmudica eruditionis *Joh. Lightfootum* Anglum, Canonicum Elienſem & Aulæ S. Catharinæ apud Cantabrigienses Præfectum, qvi natus Anno 1602. 29. Mart. septuagenario major decessit d. 6. Dec. Anno 1675. immortali post se gloria relicta allatæ Novo Test. ex tenebris Rabbinicis clarissimæ lucis. Qvod vero tantos in isto genere literarum profectus fecerit, debemus hospiti Lightfooti Rolando Cottono Eqviti, qvi Hebraice ipse non indoctus hunc clientem atqve inqvilinum suum sacris jam ordinibus initiatum, sed Hebraice parum peritum, variis subinde qvæstionibus ex intimiore ejus lingvæ notitia potissimum solvendis tentavit, hinc pudore suffusus ille intellecta studii illius præstantia & necessitate & qvo satisfacere ejusmodi qvæsitis posset imposterum, tanta contentione atqve industria in Hebraicas literas incubuit, ut somno sæpe se defraudans, sæpe vix semel in die cibum capiens ac assidue sacris V. T. libris & scriptis Ebræorum inhians, post annos non ita multos cum doctissimis in hoc studiorum genere viris de palma certare potuerit, plerosqve longe post se reliqvé-

liqverit. Atqve hoc non modo ex variorum doctorum testimoniis constat, qvi consilio ejus freqventer uti non dubitarunt, ex qvibus autor vitæ operibus ejus præmissæ refert Brianum Waltonum in Polyglottis adornandis, Edmundum Castellum, in Lexico Heptaglotto, tum Matthæum Polum in Synopsi Criticorũ elaboranda freqventer ope Lightfooti utpote harum literarum peritissimi usum, qvod & ipsi hi triumviri in suis operibus haud dffitentur: Maxime vero ac manifestissime vasta ejus eruditio Ebraea, ingenium singulare & incredibile studium, omnes suos labores ad illustrandam sacram utriusqve Testamenti paginam, conferendi, apparet ex scriptis ejus tum antea sparsim tum post obitum junctim editis Anglice primum Anno 1684. mox latine Anno 1686. duobus in folio Voluminibus, qvorum PRIMO post vitam Lightfooti, fuse & eleganter, nescio qvo autore, descriptum exhibetur *Harmonia Veteris Testamenti, Chronica temporum & ordo textuum universi Vet. Test.*

*Observationes paucæ & novæ in Genesin, ac Manipulus spicilegiorum ex Exodo.*

*Harmonia qvatuor Evangelistarum inter se & cum Vet. Test.*

Alia in eodem Tomo obvia, ut, *Erubbium* sive Miscellanea Christiana & Judaica; Descriptionem & ministerum Templi, qvale erat tempore nostri Servatoris,

toris, Tabulam Geographicam Canaanis, Tractatum de Descensu ad infero, de Maran Atha lubens prætereo. In SECUNDO Volumine occurrit *Harmonia, Chronica, ordo librorum totius Novi Test.* cum Diss. de Hierosolymorum excidio & sequente statu Judæorum.

*Horæ Hebraicæ & Talmudicæ in quatuor Evangelistas, capita quædam Epistolæ ad Romanos, Acta, & priorem ad Corinthios* quorum plurima seorsim edidit Lightfootus, quoniam ut autor vitæ refert, vix potuit typographis persvadere, ut aliquid latine suis sumptibus excuderent, nisi mole admodum exigum, quæ causa est, cur Lightfootus pleraque Anglice vulgaverit, qva lingva scribenti certatim sese ei obtulere bibliopolæ. Latina autem, non nisi propriis sumtibus, autor vel certe admodum exigua in lucem dare potuit.

Licet autem hic observare post ejus fata qviescentem non invidiam, sed bibliopolarum avaritiam & metum. Nam post mortem Lightfooti universa ejus scripta junctim non Anglice duntaxat, sed ut dixim latine excusa sunt luculentissime, ipse autem vivus qveri coactus est suis se sumtibus & cum magna jactura scripta sua edere debuisse, vide vitam. ****** 4.

Junctim primum in Germania recudendas dedit Venerandus Lipsiensium Theologus b. m. *Joh. Bene-*

Digitized by Google

*Benedictus Carpzovius* Lipsiæ 1675. & 1684. 4. qvi negat se laudare satis qvin mirari posse has eruditissimi Lightfooti lucubrationes, in qvibus plus doctrinæ, eruditionis, ingenii, diligentiæ ait se observare, qvam in prægrandibus nonnullorum voluminibus. Præmissæ etiam sunt Horis Talmudicis Observationes Chorographicæ sive descriptiones locorum & regionum, qvarum in Evangelistis mentio fit, ex Judæorum libris petitæ.

*Horas in Acta & priorem ad Corinthios*, Parisiis qvoqve recusas esse docet Richard Simon lib. 3. Historiæ Criticæ Novi Testamenti Cap. 33. ubi pluribus de hocce Lightfooti opere differit, qvibus adde, qvæ de illius in Vetus Test. scriptis notat idem *Simon* in responsione ad judicium Theologorum Batavorum de Critica Veteris Testamenti p. 213. seq. In qvo judicio Batavorum non mediocriter Lightfootus laudatur p. 377. etsi Johannes Clericus, qvem notum est præcipuum esse illius scripti autorem interjecto tempore de Lightfooto ita scripsit parte 3. Criticæ p. 217. *Diligens qvidem Rabbinicorum scriptorum lector atqve excerptor, sed qvi Magistris illis sape multo acutior non est.* Sine controversia tamen *Vir insignis fuit noster Lightfootus, qviqve primus ostendit qvantum utilitatis Talmud præbeat, si qvis eo recte uti sciat, qvod Wagenseilii mei* de eo est judicium p. 22. confutationis libri blasphemi תולדות ישו Vide ejusdem Wagenseilii prolegomena ad tela ignea Satanæ p. 66.

Et qvamvis ante ac post illum plurimi fuerint, qvi ex Hebræorum scriptis Novo fœderi lucem affundere sunt conati, *Johannes* puta *Drusius* in præteritorum libris, *Joh. Buxtorfius* in Lexico Talmudico, *Christopherus Cartwrightus* in doctissimo mellificii Hebraici opere (qvod Tomo IX. Criticorum Anglorum insertum legitur) libro 2. & 3. *Ludovicus & Jacobus Capelli* in suis ad N. T. observationibus, *Joh. Heinricus Hottingerus* in primitiis Heidelbergensibus dissertatione 3. *Gilbertus Gaulminus* in notis ad librum de morte Mosis, qvibus & sæpius promittit librum *de ritibus Judaicis Novi Test.* *Angelus Caninius* de locis Ebraicis Novi Testamenti, *Johannes Gregorius* Anglus in libro Observationum, Ed. *Pocokius* in Miscellaneis, *Ludovicus de Dieu* notis ad N. T. fariusculis, *Joh. Camero* in Myrothecio, *Alexander* Morus, *Hugo Grotius*, *Daniel Heinsius*, Qvamvis inqvam hi aliiqve non male se de sacrarum literarum Studiosis meruisse arbitrati sunt, si libris Novi Testamenti lucem ex Ebræorum scriptis fœnerati conarentur, facile tamen illis omnibus in hoc scribendi genere diligentiæ palmam *Lightfootus* præripuit, cui ex *nostris Balthasarem Scheidium τὸν μακαρίτην*, de qvo infra dicendi locus erit, jure meritoqve adjungere possumus.

COROL-

Digitized by Google

## COROLLARIA.

Sive Theſes, juxta ſeriem XXI. Articulorum Auguſt. Conf. diſpoſitæ ex Articulis VII. mediis.

### Ex VIII.

Verbum & Sacramenta ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.

### Ex IX.

Baptiſmus, ut omnibus hominibus, ita infantibus qvoqve ad ſalutem eſt neceſſarius.

### Ex X.

In Sacra Cœna verum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus, i-



Digitized by Google

temqve verus ſangvis & adeſt & manducantibus omnibus diſtribuitur.

## Ex XI.

In Confeſſione privata omnium delictorum enumeratio, nec poſſibilis nec neceſſaria.

## Ex XII.

Nemini in hac vita ea contingit perfectio, ut peccare non poſſit.

## Ex XIII.

Sacramenta ſine fide ex opere operato neminem juſtificant.

## Ex XIV.

Ad obeundum munus & officium Eccleſiaſticum, neceſſario legitima reqviritur vocatio.



Digitized by Google

# DISSERTATIO IIX.

De

X. Johannem Coccejum.
XI. Criticos Anglos.
XII. Matthæum Polum.
XIII. Ludovicum de Dieu.
XIV. Nicolaum Arnoldum.
XV. Abrahamum Gulichium.

*In Script. S. Commentariis.*

## Num. X.

### *JO. COCCEJUS.*

NUnc relicto *Lightfooto* ad *Johannem Coccejum* Bremensem virum & ipsum Ebraice in primis doctissimum nostra pergit oratio. Qvi natus Anno 1603. patrii primum Gymnasii Philologiæ Professor, postea a Belgarum Ordinibus *Franeckeram* vocatus, ibi per plures annos; deniqve *Lugduni* Batavorum sacras literas docuit; defunctus Anno 1669. Patris nomen *Cochius* fuit, qvo & ipse gavisus est in prioribus scriptis suis, ut *Codice Sanhedrin* & *Maccoth* illustrato, aliisqve, deinde autem Præceptorum ivasu maluit Coccejus appellari, unde notandus venit error *Guil. Grovæi*, qvi in elencho Scriptorum in Scripturam p. 203. 204. *Johannem Caccejum* primum, deinde *Johannem Cochium* ut diversos duos & a se distinctos homines commemorat. Vita ejus & a Jo. Henrico Filio descripta atqve operibus præmissa, & in Bibl. Universali qvæ Gallico idio-

idiomate lucem adspexit, T. VIII. p. 278. seq. a *Johanne Clerico* succincte tradita legitur. Opera ejus in *octo Tomos* distributa, primum *Lugduni Batavorum* junctim prodiere Anno 1675. Deinde *Francofurti* Anno 1689. & nunc tertia in Belgio sub prelo esse dicitur editio, ut singulos Cocceji commentarios seorsim plus vice simplici excusos jam omittamus. Qvæ vero ad institutum nostrum faciunt, hæc a viro illo doctissimo in lucem emissa extant:

*Tomo I. Commentarius in Genesin, Exodum, Leviticum, in Prophetiam Balaami*, Num. XXIII. seq. Ad ultima Mosis, sive ad postrema sex Capita Deuteronomii. In Canticum Deboræ, Judic. V. Annæ, 1. Sam. 2. In Jobum.

*Tomo II.* In Psalmos, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum Canticorum & Esaiam.

*Tomo III.* In Jeremiam, Ezechielem, Danielem & XII. Prophetas minores.

*Tomo IV.* Scholia in Matthæum, Marcum, Lucam. Commentarius in principium Evangelii Johannis & in integrum illud Evangelium, Scholia in Acta. Commentarius in Epist. ad Romanos, utramqve ad Corinth. ad Galatas, in principium Epistolæ ad Ephesios & in totam illam Epistolam.

*Tomo V.* deniqve Commentarius in Epistolam ad Philippenses, utramqve ad Thessalonicenses, ad Timotheum & Titum. Scholia in Epistolam ad Philemonem. Explicatio Epistolæ ad Ebræos, Commentarius in Epist. Jacobi & Petri utramqve. Scholia in Epistolas tres Johannis, Commentarius in Epistolam Judæ, & cogitationes in Apocalypsin. In qvibus Com-

Digitized by Google

Commentariis cum eximiam plane linguarum sacrarum & phraseos Scripturæ peritiam, diligentiamque in conferendis locis incredibilem, tum singulare acumen abditissima quæque facile penetrantem lectoribus suis probat Coccejus. *In eo vero laudandus omnino est, quod pleraque oracula V. T. non cum Calvino suo Christianis eripiat, aut ambigua reddat, sed dextre de Christo explicet, in multis etiam Christum pio studio quærit, etsi non inveniat. Multum tribuit sibi ipsi, unde passim ἰδίαι ἐπιλύσεις. Ob insignem Ebraismi notitiam & scrutinium novorum in veteribus lectu digna hujus Viri lucubrationes, sed legenda cum judicio, ne speciosa analysi ante accuratiorem discussionem quis capiatur*, quod de Coccejo B. Calovii judicium in Bibliis Illustratis est ad Deut. XXIX. p. 614. Passim etiam præter Socinianos, Grotium, Commentariis præcipue in Novum Testamentum Coccejus impugnandum sumit, nec mirum est hunc in omnia alia abire cum de utroq; vulgo feratur, *Grotium nusquam Christum reperire in sacris literis, Coccejum ubique.* Vide Rich. Simonem Lib. III. Hist. Crit. N. T. Cap. LI. Cave tamen ne Magni certe hujus Viri scripta assidua volvendo manu periculosis Cocceji abripiaris in errores hypothesibus. Cumprimis illa: *Verba S. Scripturæ significare id omne, quod*

*significare possunt.* Atqve isthaec: *Totum Vetus Testamentum & Ecclesiam Judaicam speculum esse ac typum in qvo prophetice facies Ecclesiæ N. T. exhibeatur.* Neqve hac, *de duplici justificationis modo, & de septem periodis N. T.* Confer qvæ in illarum confusionem scripserunt *Hulsius*, Prof. Lugdun. *in Theol. Hypothetica*, *Frid. Spanhemius* Fil. Epist. de Noviſſimis in Belgio diſſidiis, atqve *B. Alberti* de Carteſianiſmo & Coccejaniſmo.

## N. XI. & XII.

### *BIBLIA CRITICA ANGLICANA. MATTH. POLI SYNOPSIS.*

Opera hæc peculiaris jam exhibuit B. L. dissertatio.

## N. XIII.

### *LUDOVICUS de DIEU.*

*Ludovicus de Dieu* Flissinganus Belga & in Leidensi Academia sacrarum literarum Professor præstantissimus, cui Ao. 1642. satis concedenti parentavit *Johannes Polyander*, ex cujus oratione funebri pleraq; in T. 1. Dictionarii Historico-Critici refert Doctissimus *Petrus Bælius*, ut omittam qvæ in Dieusii laudem leguntur collecta a *Thoma Pope Blount* in censura celebrium scriptorum. Hic summam curam impendit ad explicanda difficillima qvæqve utriusqve fœderis loca, conferendis versionibus Orientalibus, Syriacis, Persicis puta, Caldaicis & Arabicis, tum Æthiopicæ qvo-

qve

qve & in Pentateuchum Samaritica, ex qvibus magna lucem sæpe feliciter attulit sacro Codici. Notæ ejus in Evangelistas, Anno 1631. in Acta, Anno 1634. in Epistolas Pauli Anno 1646. tum Canonicas qvoqve & Apocalypsin Anno 1646. seorsim singulæ forma qvarta prodiere Lugduni Batavorum. Notæ in omnes Veteris Testamenti libros ibidem post autoris fata lucem adspexerunt Anno 1648. Qvæ universæ doctissimi Philologi lucubrationes junctim prelo iterum subjectæ sunt Amstelodami 1693. f. ad calcem adjuncta *Apocalypsi, qvam Syriace* ex MSto Syriacis & Hebraicis typis cum sua versione Dieusius ediderat Lugd. Bat. 1627. 4. Miretur forte aliqvis in hac nova editione nullam rationem habitam esse *Historiæ Christi ac Petri Versicæ a Xaverio* descriptæ, a nostro autem cum latina versione & censuris atqve animadversionibus vulgatæ, ibid 1639. 4. Sed forte editores fabulæ & ineptiæ libris istis a *Xaverio* temere adspersæ prohibuerunt, ne eos notis Viri doctissimi in sacros libros addere dignarentur. Certe operis ejus Xaveriani ipsos pudet Pontificios ac Jesuitas præsertim ex qvibus *Petavius* Lib. XIV. de incarnatione Cap. VII. ubi in Dieusii animadversiones gravissime invehitur pag. 420. proterve negat Historiam illam CHRISTI ac Petri Xaverium habere autorem. Cum tamen *Alegambius* & *Sotvellus* sine dubitatione eam *Xaverii* scriptis annumerent, interpretemqve optima fide in reddendo Xaverii textu versatum esse fateantur, etsi animadversiones adjectas rogo dignas pronuncient. *Richardus* qvoqve *Simon* qvi Xaverium autorem verum non dubitat, o-

ptat eum non tot fabulas ex lacunis Apocryphis sacræ Historiæ adspersisse Libr. I. Hist. Crit. N. T. pag. 33. adde Lib. II. p. 206. Idem *Simon* non mediocri laude Dieusium laudat, & inter præstantissimos Philologos locum non postremum ei concedit L. III. Cap. XXXV. pag. 787. sq. Polus qvoqve assiduum ejus rationem habet in synopsi Criticorum & jampridem Daniel Heinsius Prolegom. ad Exercitationes sacras pag. 37. *summum ac inusitatæ eruditionis virum, & vere θεόπνευστον* appellat, *qvi qvantum in divinis profecerit mysteriis, in commentariorum suorum libris docet sine cujusqvam contumelia.*

## N. XIV.

### *NICOLAUS ARNOLDUS.*

Reliqvum est ut de *Nicolao Arnoldo*, atqve Abrahamo Gulichio pauca qvædam subjiciamus, atqve ita enarrandis commentatoribus in universum sacrum Codicem Reformatis, qvi latine qvidem scripsere, imponamus finem. Ac *Nicolaus* qvidem *Arnoldus*, Maccovii Discipulus Theologus Franeqveranus, hoc loco memorandus nobis venit propter *brevem ac succinctam vindicationem simul & conciliationem locorum Veteris & Novi Testamenti qvibus omnium sectarum adversaris ad Stabiliendos errores suos abutuntur*, Hunc enim titulum libro autor præfixit, in qvo non Pontificios tantum, Socinianos, Remonstrantes, sed nostros qvoqve passim impugnat, undecum ante hos novemdecim annos in optima Leucorea, qvam Deus ter Opt. Max sertam tectamqve & omnibus bonis cumulatam perpetuo qveatur,

Theo-

Theologiam docerem, jam tum in animo mihi fuit, qvæ in hoc opere alias non contemnendo sed autoris ingenium ac doctrinam satis prodente, adversus nos passim disputantur, sub examen vocare, dissertationesqve Arnoldo oppositas sub titulo *tenebræ in luce* edere atqve in lucem emittere. Interjecto autem tempore & me ad alia vocato, hanc qvidem curam deposui, præcipue cum intelligerem idem saxum volvere Venerandum Theologum *Johannem Benedictum Carpzovium* Lipsiensis Academiæ decus; at inter ipsos labores ad Ecclesiam triumphantem vocatus fuit Vir summus. Prodiit Arnoldi liber in forma qvarta Franeqveræ primum Anno 1662. mox ibidem post tres annos, ac novissime hoc ipso anno in Germania, præfixa autoris imagine in æs incisa recusus.

## N. XV.

### *ABRAHAMUS GULICHIUS.*

*Abrahamus* deniqve *Gulichius* Professor Franeqveranus ex Joh. Cocceji maxime commentariis, cujus vestigia perpetuo legit, non modo Theologiam Propheticam de rebus utriusqve Testamenti præmissa Hermeneutica sacra magno studio elaboravit, cujus partem primam Anno 1675. vulgavit ipse recusam Anno 1690. 4. Amstelodami. Alteram post ejus fata edidit Joh. Theodorus Schalburch, ibid. 1684. sed etiam summa accuratione conscripsit Analysin & compendium librorum Propheticorum antiqvi & novi fœderis, qvam similiter post autoris doctissimi & ingeniosissimi ex hac vita discessum, ibid.

1683. 4. in lucem emisit *Hermannus Alexander Roëll*, in Acad. Franeckerana Theol. & Philos. Profess. Celeberrimus, qvi de vita *Gulielmi* laboriosa & moribus optimis alibi plura dicturum se promisit.

## COROLLARIA.

ex Lectionibus Publicis DN. PRÆSIDIS *in Lucam* desumta.

### I.

*Per plures illos, qvi Evangelium scribere manum admoverunt non hæreticos; sed* Matthæum & Marcum *aliosqve ex LXX. discipulorum ordine Lucas intelligit.*

### II.

*Perierunt qvidem qvidam Libri Divini, sed non Canonici.*

### III.

*Lucas instinctu Divino scripsit.*

DISS.

# DISSERTATIO IX.
## De
## *Commentariis Reformatorum in Biblia S. vernaculis.*

*XVI. Jo. Deodati.*
*XVII. Samuelis Maresii.*
*XVIII. Matth. Poli.*
*XIX. Joh. Eduardi.*
*XX. Belgicis.*
*XXI. Joh. Piscatoris.*
*XXII. Pauli Tossani.*

## N. XVI.
### *JO. DEODATUS.*

Juvat in præsenti de vernaculis qvoqve *Reformatorum* in universam Sacram Scripturam commentationibus nonnulla subjungere. Ac primum qvidem dicere de *Johanne Deodato*, Lucensi (ex Patritia Lucensis inter familia nato, patre *Carolo*) Professore Theologo Genevensi doctissimo atqve disertissimo, qvi diem obiit 1649. ætatis suæ Anno 74. Professionis qvod mireris 55. Anno enim 19. Theod. Bezæ svasu Professionem Lingvæ S. magna cum laude susceperat.

Interfuit hic Synodo Dordracenæ, & una cum *Theodoro Tronchino* Professore itidem Genevensi concepit verba canonum illius Synodi de prædestinatione, ut refert *David Ancillonius* T. 2. Miscellaneorum Criticorum qvæ Gallica lingva post patris mortem filius *Daniel Ancillonius*, noviſſime vulgavit p. 229. 230. Qvi T. 1. p. 22. qvoqve testatur Deodatum doctiſſimum

mum & aptissimum fuisse ad tradendam Theologiam positivam, minime autem Theologiam Scholasticam. Ibidem aliorum (qvod obiter notamus) qvoqve Professorum Genevensium characteres addit. *Spanhemium* & valuisse excelluisse in omnibus, in cathedra Ecclesiastica, in Theologia positiva, polemica, Scholastica, *Trontbinum* breves sed solidas & doctas lectiones habuisse, deinde auditores suos duxisse in atrium, ubi curiosis & notatu dignissimis narrationibus eos oblectavit pariter atqve instruxit.

In cathedra Ecclesiastica minime contemnendum fuisse *Deodatum* patet ex *Alexandri Mori* hominis dissertissimi elogio in Deodatum defunctum p. 79. sq. poematum ubi inter alia:

*Nam qvi diserti nobis aliqvando videmur,*
*Cum facimus populo verba silente pio.*
*Illa pra Boanerge, absit reverentia vero,*
*Anseribus similes qvos premit albus olor.*
*Pace mihi liceat fratres hac dicere vestra*
*Praqve illo infantes posteratura sumus.*

Nescio tamen qvo jure *Petrus Molinaus*, obscuritatem ei objecit. Rogatus enim Deodatus de auscultato qvodam Molinæi sermone, *aqva clara & perspicua*, inqvit, *nunqvam sunt profunda*. Vicissim Molinæus, qvi hoc Deodati de se judicium ab amico compererat, rogatus de sermone qvodam Deodati: *aqva profunda*, inqvit, *nunqvam sunt clara*. Idem *Pauli* qvoqve *Sarpii* Histo-

riam

riam Concilii Tridentini Gallicæ conversam edidit nomine suo suppresso, & a *Menagio* in Originibus Gallicis temere perstringitur ac *qvi Sarpium interpolaverit*, cum summa fide in illo transferendo versatum esse omnes fateantur, & collatio facile doceat.

Hoc loco, ut in viam redeamus, autem nobis memoratur ob notas succinctas nec contemnendas qvas versioni Italicæ Bibliorum a se concinnatæ adjunxit & qvas primum monitus jussusqve est Veteri potius versioni Gallicæ Genevensi adtexere. Ipse vero translationem novam cudere maluit, eamqve doctorum Ecclesiæ Reformatæ examini sub ectam, nonnullis obstaculis qvæ ejus editionem per aliqvod tempus morabantur superatis, feliciter deniqve vulgavit Genevæ 1641. fol. Qvamvis autem in versione ejus nonnulla reprehendit *Rich. Simon* Lib. II. Histor. Crit. V. T. C. XXIII. p. 131. & Lib. II. Hist. Crit. N. T. p. 492. inprimis qvod qværendæ perspicuitatis prætextu, verba Scripturæ interdum juxta propria præjudicia restringat, magni tamen merito illa fit ab pluribus propter elegantiam ac claritatem & a *Ezechiele Spanhemio*, in Epist. de Historia Critica Simonii p. 35. defenditur. Laudatur etiam a Coccejo in Jobum, & Ancillonio teste: bibliopolæ, qvi sumptus impenderat, res familiaris non mediocriter aucta est freqventi illius versionis venditione. Ipse etiam Simonius eam cum præstantissimis qvibusqve recentiorum versionibus conferre, ac de elegantia, perspicuitate, & singulari interpretandi cura commendare Lib. II. Hist. Criticæ N. T. non dubitat. Imprimis vero argumenta cap

tum & notæ magnam autori laudem peperérunt, qvæ & cum verſione ab ipſo autore in Gallicam lingvam translatæ, & magnam partem Belgicis majoribus & Toſſani Germanicis Bibliis adſperſæ, & Anglice qvoqve ac latine verſæ prodiere. Qvanqvam in his qvoqve, qvæ carpat livor offendit, nam non modo ab eodem Simonio autori vitio verſum eſt, qvod Theologicas interdum & practicas obſervationes pro Criticis adjecerit, ſed valde etiam in illum invehitur *Johannes Clericus* ad caput ſecundum qvæſtionum ſacrarum Davidis Clerici patrui ſui, & in judicio *de Hiſtoria Critica Richardi Simonis*, ſub Theologorum Batavorum nomine Gallica lingva vulgato p. 321. ubi unicam duntaxat Italicam Bibliorum Deodati editionem Anni 1641. lucem adſpexiſſe notat, ut fallantur Simonius & alli qvi vel plures vel primam Genevenſem Anno 1607. 4. vulgatam comminiſcuntur. Cæterum in Veteri Teſtamento, *Roberti Stephani*, ſive *Franciſci Vatabli* nomine editas notas & verſionem Pagnini, in Novo Teſtamento *Bezam* præ cæteris ſecutum eſſe Deodatum notavit idem *Simonius* & *Arnoldus Booſing in indice ad Obſervationes Biblicas*. Videndus etiam *P. Amboſini* (ſub qvo nomine itidem Simonis latere creditur) in reſponſione ad Hiſtoriam Criticam V. T. *pag. 30. ſeq.* ubi qvædam in Deodati Bibliorum laudem ſcripta leguntur.

## N. XVII.

### *SAMUEL MARESIUS.*

Qvod Deodatus facere tenuit, fecit haud invitus

*Samuel*

*Samuel Maresius* Theologus Groningentis, (Ao. 1673. ætatis 74. denatus,) veteriqve Bibliorum Gallicæ versioni Genevensi notas qvasdam breves eadem lingva adjecit atqve ita in lucem protulit additis notis *Deodati*, qvi qvod novam versionem, Gallicam qvoqve ex Italica sua vel præter Italicam feciſſet, in vidiam multorum effugere non potuit qvi hoc præjudicium veteris Genevensis factum interpretabantur. Confer *Deodati Epiſtolam ad Synodum Alenconienſem* pro Gallica sua versione, qvam exhibet *Johannis Qvick*, Miniſter Eccleſiæ Londinensis in Synodico Galliæ Reformatæ ad Annum 1637. Neqve vanum illorum metum fuiſſe patet ex libello *Franciſci Veroni* Scriptoris Pontificii, qvo Deodati Gallicam translationem parum certe lingvæ elegantias referentem cum Genevensi contendit, & ad calcem Novi Teſtamenti a se in eandem lingvam translato collegit. *Falſificationes*, ut vocat *verſionis Genevenſis, agnitas & correctas a Johanne Deodato.* Vide etiam ejusdem Veroni *methodum Capite VII.* Sed ut ad Mareſii notas una cum textu Biblico tum Elzevirianis typis, tum alias plus semel editas revertamur, de his longe magis qvam de Diodateis ſiniſtre judicant *Simon, Clericus* & alii. Cum enim magnam partem locos communes sapiant, & raro lucem aliqvam locis obſcuris atqve difficilibus fœnerentur, nullo majore elogio ab eis mactari videas qvam *du galimatias perpetuel*, hoc eſt ineptatum perpetuo ac futilium parumqve ad rem facientium animadverſionum, *buſtubata Nævii, ſine mente ſonum* reddit latinus Criticæ Simonianæ interpres in Epiſtola *Ezechielis Spanhemii p. 53.* qvi Vir Summus de *Mareſii* pariter ac *Diodato* ni-

mis contemtim locutum Simonium, neqve adeo reprehendendam ejus methodum practice Scripturas in usum lectorem exponendi observat, qvam etiam secutus est *Du Sassy* portus Regii Jansenista celeberrimus in notis ad suam Gallicam versionem recentissimam tum veteris, tum novi Testamenti, de qvibus cum plura dixerimus in dissertatione nuper Lipsiæ cum auctario recusa *qvantum Reformatio B. Lutheri Pontificiis ipsis fatentibus profuerit, p. 90. sq.* neqve hic, ubi de Reformatis agimus, Pontificios attingendi est locus, illis omissis ad *Anglos* jam noster sermo se convertit.

## Num. XVIII.

### *MATTHÆUS POLUS.*

### &

### *JOHANNES EDUARDUS.*

Varios autem hæc natio ostentare potest qvi suo idiomate utriusqve fœderis libros explicare atqve illustrare studuerunt. Nam ut *Collegii Angli Duacensis* animadversiones tribus in qvarto voluminibus Anno 1609. editas omittam, extat Episcopi *Halli paraphrasis* Ann. 1633. fol. Extat *Roberti Keyi* commentarius Anno 1665. fol. *Johannis Meyeri*, qvinqve in folio Voluminibus, tum *Trappii* Tomis totidem: Annotationes *Diodati Anglice versæ* Anno 1664. fol. & in collectione annotationum in Scripturam qvæ varios autores agnoscit & Anno 1657. fol. adspexit lucem duobus in folio voluminibus. *Dutbei* qvoqve annotationes Anno 1657. fol. tomis similiter duobus qvi Scriptores universi in elencho

An-

Anglico *Vernevilii* Scriptorum Anglorum in Scripturam, Londini Anno 1668. 8. edito, & ex hoc in *Martini Kempii* Bibliotheca Anglorum Theologica commemorantur qvibus nos hoc loco duos recentiores adjungemus *Matthæum Polum* & *Johannem Eduardum*. Ac *Matthæi Poli* qvidem commentarii Anglici in universam Scripturam jam supra meminimus cum Synopsin Criticorum ab eo latine adornatam recenseremus, etsi Polus ipse satis prohibitus ad umbilicum opus illud non perduxit, sed ex Commentario in duos tomos distincto, cui textus Biblicus ex versione Anglica novissima & emendatissima insertus, variæ lectiones dictaqve parallela in margine libri adnexa, prius duntaxat volumen qvod in Esaia desinit, Polum autorum habet, altero post ejus mortem, qvæ ipsi Anno 1685. contigit, ab aliis Viris doctis adjecto Lond. 1688. fol. Vide Acta Eruditorum *T. I. Supplement. p. 184. seqq.*

*Johannes* vero *Eduardus* Theologus Anglus adhuc in vivis existens & variis scriptis adversus Atheos, Deistas & Socinianos celebris, ante paucos annos tribus in octavo ordine tomis vulgavit examen sive animadversiones in selecta loca Veteris pariter & Novi Testamenti.

## XIX.

### *NOTÆ AD VERSIONEM BELGICAM.*

Neqve *Belgæ* commentatoribus & Scholiis in universam scripturam destituuntur. Inprimis celebres sunt annotationes marginales una cum textu Bibliorum ex versione Belgica nova, *decere. Synodi*

*Dordracene* A. 1618. & 1619. elaborata, sæpius excusa. Jam antea qvidem Biblia Belgica ex Lutheri versione translata (cujus versionis autores Lutheri sententiam sæpe non assecuti sunt, & errores typographicos admiserunt &c. Vide Max. Reverendi *Bentheimii Hollandischen Kirchen Staat* p. 231. sq. Plura de illa versione *Johannes Leusdenius* Philologo Ebræo dabit, mixto, parum æqvus versionis Lutheri judex p. 70.) una cum notis prodierant Lugd. Bat. 1581. & 1591. fol. ut alias editiones omittam, ubi observationes ad V. T. majorem partem petitæ sunt ex Bibliis Gallicis Genevensibus, ad N. T. ex Commentariis latinis *Augustini Marlorati*, autor sive collector primis duntaxat literis P. H. indicare se atqve sub illis latare voluit. Cum vero Patres Dordraceni imprimis necessariam esse putassent novam Bibliorum versionem, neqve satis esse ut hic vel inde corrigeretur, sed nova plane adornaretur, id muneris demandatum est, *qvod ad V. T.* qvidem attinet Johanni Bogermanno, Wilhelmo Baudartio, Gersoniqve Bucero, Novi Testamenti translatio injuncta est Jacobo Rœlandi, Petro Cornelii & Hermanno Faukelio. Ad recensendum V. T. electi Antonius Thysius, Polyander, Plancius, Jodocus Larenus, Sibrandus Lubberti, Revius (hic *Jacobus Revius* doctissimas observationes edidit *ad Laur. Vallæ* notas in N. T. qvas Criticis Anglis insertas nuper diximus.) Franciscus Gomorus. *Ad Novum Testam.* Sebastianus Damman, Festus Hommius, Geldorpius, Walæus, Langius, Fullenius, Ubbo Emminus, Johannes Caperoos. Confer Acta Synodi Dordracenæ, & vitam Antonii Walæi in Gvil. Bar-

Bartesii collectione de vitis illustrium virorum *p. 649. seq.* Epistolas Remonstrantium *p. 514. seq.* ubi etiam refertur actum in Synodo utrum Apocryphi libri adjiciendi, & utrum DEUS compellandus per *du* an per *gby*. Qvo autem magis necessaria judicaretur nova versio, non tantum Wilhelmus Baudartius, Ecclesiastes Zutphaniensis, in peculiari libro Arnhemii Anno 1606. 8. edito sub titulo *Wechbereyder op de verbetoringhe van den Nederlandtschen Bibel* collatis aliis translationibus non paucos vulgatæ tum temporis versionis Belgicæ nævos ostendere est conatus, sed & *Sixtinus Amama*, Johannes Drusii, qvi plurimum etiam in translatione illa ad fontes jussu Ordinum Hollandiæ examinanda operæ insumserat, discipulus, longe fusius Baudartio idem egit in libro. Belgica lingva Amstelodami Anno 1623. 4. edito sub tit. *Biblische Conferentzien*, in qvo juxta librorum capitumqve Bibliorum seriem tum Veteris, tum Novi Test. procedens, ad subsidium vocatis tum fontibus præcipue, tum versionibus latinis Pagnini, Tigurinorum, Tremelli ac Junii, Gallica Genevensi, Germanica Piscatoris, Hispanica Cypriani de Valera, aliisqve, errores veteris translationis demonstrare annititur. At puritatem Germanicæ Lingvæ vix intellexisse Censorem, & inde imperite atqve inepte notasse Magnum Lutherum, vitia Typographica imputasse B. Viro, accusasse in Luthero qvæ excusaverit in Piscatore plurimis constat & confirmatur locis, qvorum non pauca collegit & propria manu Codici suo *der Biblischen* Conferentie

Hui-

*Hülſemannus* noſter adſcripſit, qvem Bibliotheca mea cuſtodit. Ab iisdem igitur qvibus transferendi curam a Synodo injunctam diximus, notas etiam marginales concinnatas, & novæ verſioni Belgicæ adjectas ex lege tertia Interpretibus data, conſtat. Cum qvibus opus illud Biblicum multorum doctorum Virorum plurimo labore & tot annorem ſtudio elaboratum lucem primum adſpexit 1637. fol. editum, ego poſſideo editionem Lugd. Batav. 1645. fol. deinde in variis Belgii locis qvam freqventiſſime. Volunt autem ordines Belgii in præfat. Bibliis præfixa non proletariam hujus translationis in ſuis provinciis eſſe autoritatem, ut non tantum in templis & ſcholis publice recipiantur, ſed nec facile ab illa recedatur, qvod ad notas marginales etiam extendens Antonius Hülſius Parte I. ſpeciminis Theologiæ Hypotheticæ p. 250. *negat licere ulli Theologo reformato in Belgio a recepta Belgica verſione ejusqve marginalibus annotationibus credere in locis dogmaticis.* Idem p. 309. ægre fert *annotationes illas a multis* (Coccejanis, credo) *pari fere nunc haberi numero locoqve qvo formas ſubſtantiales ſpatiaqve imaginaria.* Confer *Part. II. pag. 37. 49.* Imo *Samuel Mareſius*, de qvo nuper diximus, in aliis qvoqve locis qvæ dogmata non ſpectant, ab autoritate verſionis hujus pendere Theologos Reformatos voluit. Vide *Bibliothecam Univerſalem Gallice editam T. V. pag. 485.* ubi Johannes Clericus hoc narrans ſubjungit *ita Belgas qvoqve propria lingva habituros Vulgatam verſionem qvam non minus qvam Pontificii ſuam colant.* Conſtat tamen illam

ſam *Mareſii* ſententiam communi Doctorum ſententia & praxi rejectam repudiatamqve eſſe. Confer Amici noſtri ſingularis *Ludovici Benthemi* librum vernacula lingva editum de ſtatu Eccleſiarum Belgicarum *Cap. VII. p. 250.* qvi *p. 247. ſeq.* qvi plura exempla Reformatorum verſionem ipſam corrigentium atqve reprehendentium adducit. De Remonſtrantibus nihil dicam, *Simonis Epiſcopii* de verſione illa notisqve judicium *Lib. IV. Inſt. Theol. Sect. I. Cap. XXI.* adduxiſſe ſufficiat. Ita vero ille:

Atqve hæc potiſſimum cauſſa fuit, qvæ Ordines Fœderati Belgii movit, ut, poſt fruſtra hactenus tentatas cæptasqve partim a Philippo Marnixio, partim a Wernero Helmichio novas verſiones, ſive veteris verſionis emendationes, conſultum duxerint juſſerintqve, novam & accuratam, proximeqve ad fontes ſacros exactam verſionem adornari, non pænitendo exemplo. Eam ad rem deputati fuerunt in & a Synodo Dordracena, habita Anno M. DCXVIII. & MDCXIX. qvindecimviri, qvi in ea adornanda & elaboranda octodecim annos deſudarunt, ac tandem hoc ipſo Anno MDCxxxvii. eam in lucem ediderunt commentariis & annotationibus ſuis ingentibus ſane ac prolixis, ſuffragiisqve Theologorum qvorundam *ὁμοψήφων* ab Ordd. Fœderatis ad eas revidendas accitorum, comprobatis, auctam &, ſi diis placet, illuſtratam. Qvid de ea judicaturus ſit Chriſtianus orbis, tempus docebit. Ad

me qvod attinet, qvi brevi hoc tempore non nisi obiter tantum loca qvædam, tum controversa, tum in veteri versione emendanda, lustrare potui, si ἐκ τῆς κεφαλίδος περὶ παντὸς τοῦ ὑφάσματος, sive ex fimbria de contextu toto judicare liceat, verbo uno dixerim; Qvando in locis istis qvæ percurri hic illic, emendatior meliorqve est nuda versio, tanto mendosiores deterioresqve sunt notæ, qvæ versioni adjunctæ sunt, ut nesciam, an majus emolumentum ex versione, an vero majus detrimentum ex notis ad Rempub. Christianam redundaturum sit. Nempe eruditi homines, & qvibus divinorum verborum sententia curæ ac cordi est, non tam notas & animadversiones, qvas cuiqve liberas relinqvunt, æstimant, qvam ipsam propriam ac genuinam verborum sacrorum versionem. Ineruditi, qvi fontes sacros adire propter imperitiam suam neqveunt & opinionibus atqve affectibus suis magis qvam judicio ducuntur, non tam versionem an ex fide veroqve facta sit, qvam notas ipsas æstimant, & qvia autoribus earum potius libentiusqve qvam sibi ipsis fidunt, iis multo tenacius pertinaciusqve, qvam versionis veritati aut proprietati adhærent. Qvare cum ab hisce multo gravius detrimentum veritatis sacrorumqve sensum metuendum sit, qvam ab istis, consultius multo facturi mihi fuisse videntur, tum Reipub. Christianæ, tum famæ suæ, bonorumqve omnium spei atqve exspectationi, interpretes hi novi, si versionem suam sine notis, qvam si eam cum notis

tis ſuis edidiſſent. Qvod tamen ſi accipi nolim, qvaſi aut verſionem eorum totam probem, aut notas omnes improbem. Eſt enim in utrisqve, qvod (ſalvo ſemper meliore judicio) probandum & qvod improbandum cenſeo.

Qvod ad notas verſioni in folio editæ adjunctas attinet, de jis merito dicere mihi liceat.

*Sunt bona, ſunt qvædam mediocria, ſunt mala multa.*

Certe, qvi eas prima fronte introſpicit, is non poteſt non credere, eas pure pute Calvinanas eſſe, & eo duntaxat nulloqve alio fine, magna cum ſollicitudine elaboratas, qvam ut in ſenſibus iſtis, qvi ad fidem & mores pertinent, univerſa Biblia nihil aliud videantur continere, qvam qvod cum doctrina de abſoluta Prædeſtinatione, in Synodo Dordracena nuper ſancita, & cum placitis ſcitisqve Calviniſticæ ſectæ, ut potius interpretum ipſorum, qvos Calviniſticæ ſectæ Coryphæos fuiſſe conſtat, per omnia ex amuſſi convenit. Qvod unum mihi tam ingens non dico σφάλμα ſed ἁμάρτημα eſſe videtur, ut non dubitem, qvin propter notas iſtas, univerſa, ſi qvæ eſt, verſionis gloria, evanitura ſit: & qvidem duabus de cauſſis. 1. qvod in notas iſtas impacturi ſint omnis generis Theologi, diverſarum aut contrarium ſententiarum, dentes, ungves & calamos ſuos, earumqve occaſione, verſionem ipſam,

ubi poterunt, ſugillaturi, & ſuſpicione ſeu præjudicii manifeſti, ſeu malæ fidei maculaturi. 2. qvod manifeſte jam appareat, omne illud qvod hactenus tanto cum molimine, non poſtulatum modo, ſed flagitatum pene eſt ab Ordinibus Fœderatis, ut correctior emendatiorqve Bibliorum verſio aliqva cuderetur, non tam eo fine flagitatum fuiſſe, ut correctior emendatiorqve verſio haberetur, qvam ut magnis cum impenſis Notæ ſcriberentur & coacervarentur, non qvibus ratio mutatæ emendatæqve verſionis veteris contineretur, (id enim ut fieret æqvum erat) ſed qvibus Dordracena fides & univerſa Calvini Theologia qvaſi ſanciretur & animis legentium inſinuaretur. Nempe ſic verſio propter notas, non autem notæ propter verſionem factæ ſunt atqve elaboratæ, tanto cum temporis ſumtumqve impendio, tanto cum veritatis præjudicio, tanto cum caritatis nocumento. Dices: Remedium iſti malo allatum eſſe per editiones alias ejusdem verſionis ſine adjectione notarum. Reſp. Qvid remedio iſto opus erat? Hoc eſt poſt vulneratam cauſſam remedium qværere, & antidotum dare poſtqvam venena ſe remediis miſcuerunt, aut remediis ita permixta aut conjuncta fuerunt, ut curioſitati ad venena ipſa tum impenſe qværenda, tum imprudenter hauriendæ anſa data ſit, & utraqve manu porrecta. Nimirum non pauca ſunt loca in Bibliis, qvæ notarum qvarundem lucem deſiderant, & in Notis his non paucæ etiam ſunt, ſive ex ipſorum

inter

interpretum ingenio atqve induſtria, ſive ex aliorum Theologorum multo ante datis indicationibus, profectæ obſervationes, qvæ lucem qvibusdam obſcuris locis adferunt. Eæ acuere facile poſſunt curioſum Lectorem, ut notas iſtas conſulat, & ſibi adlibeant, ut ad cæteras conſulendas animum adjiciat, atqve ita remediorum ante perceptorum ſenſu & amore præoccupatus, paulatim cum remediis venena imbibat. Qvod tamen ſic dictum nolo, qvaſi illicitum ſit biblia edere cum notis, qvæ cuiqve optime videntur. Nihil minus: ſed ſic ſolum, qvod iis, qvibus propoſitum eſt publica autoritate verſiones ante factas a mendis vitiisqve repurgare, & emendatiorem verſionem in gratiam Chriſtiani populi moliri, merito verti vitio poſſit ac debeat, qvando non tam id agunt, ut verſionem accuratam & emendatiſſimam moliantur, ſine cujusqvam offenſa aut gratia, bono omnium Chriſtianorum publico ac communi, qvam ut Theologiam ſuam per notas adjectas inſtillent atqve diſſeminent, cum offenſa plurimorum, & ad adverſionem animorum a legenda amandaqve verſione alioqvin meliore atqve emendatiore. Fere enim ac facile evenit, ut qvando in notis manifeſte partium ſtudium elucet, in ſuſpicionem etiam vocetur interpretum fides & ſinceritas, atqve ita ab ipſius, licet emendatiſſimæ, verſionis tum amore, tum lectione alienior reddatur plerorumqve animus. *Hactenus Epiſcopius.*



Digitized by Google

## N. XX.

Jam reſtat ut de *Germanicis* Reformatorum in univerſam Scripturam notis & obſervationibus pauca dicam qvibus neſcio an adjiciendæ etiam ſint *Joſephi Halli* ex Anglico Germanicæ verſæ viſiones Biblicæ. *Johannes* certe *Piſcator* non prætereundus, qvi præter latinam translationem & notas qvarum ſuo loco mentionem fecimus, Germanicam verſionem juſſu, ut ipſe teſtatur, Johannis Comitis Senioris Naſſavienſis Herbornæ Anno 1604. 4. qvatuor voluminibus edidit, cui præter argumenta libris & capitibus ſingulis præfixa notas literales & practicas ſubjunxit, adjecta etiam ab calce Analyſi Alphabetica ſive Indice in Scriptorum copioſiſſimo cui Piſcator pluribus qvam qvatuor annis integris aſſidue inſudaſſe ſe affirmat. Jam pridem autem B. Hülſemannus noſter in methodo ſtudii Theol. *p. 286.* monuit, *indices Piſcatoris Biblicos iunioribus valde noxios eſſe ob corruptelas ſingulis ferme vocibus ſtudio affictas.* Verſioni autem ipſi Paulus Roderus, Paſtor Kochbergenſis lingva vernacula oppoſuit librum qvi inſcribitur: *Biblia neu verdeutſcht von den Calviniſten Johann Piſcatorn und ſeinen Gehülffen, der gemeinem Lutheriſchen entgegen gehalten, und nach dem Grund des Chriſtlichen Glaubens und der fürnehmſten Hauptſachen beyde auf die Probe geſetzt.* Francof: 1607. 4. Rodero Piſcator reſpondere conatus eſt in Apologia Herbornæ Ao. 1608. 4. vulgata.

ta. *Vertheidigung der neuen Herborniſchen Bibel wieder das Laſter-Buch Paul. Röders.* Videndæ etiam *Petri Piſcatoris*, Theologi Jenenſis exercitationes contra *Johannis Piſcatoris* verſionem, etſi difficulter reperiuntur, adeo ut jam *B. Mich. Waltherus pag. 407.* Officinæ Biblicæ neget ſe omnes nanciſci potuiſſe, prelo alioqvi illis iterum ſubjecturus. Confer præterea *Balth. Menzerum T. III. Giſſenſ. Diſp. XV. §. 6. 7. Hieronym. Kromayerum in Polymathia Theologia pag. 161. ſeq. Joh. Himmelium Harmon. Calvino-Papiſtica pag. 18.* & *Chriſtianum Kortholtum* de variis Scripturæ verſionibus, *p. 336.* qvi ſtylum Piſcatoris Germanis auribus ingratum accidere recte obſervat.

## N. XXI.

*Paulus Toſſanus*, Petri Toſſani filius, Montargirienſis Gallus, Theologus Heidelbergenſis & denique Palatinatu luctuoſis belli calamitatibus oppreſſo Paſtor Hanoveuſis, Hanoviæqve Anno 1629. ætat. 57. defunctus novam qvidem verſionem Germanicam non adornavit, ſed recuſæ B. Lutheri translationi notas ſuas marginales adſperſit qvibus verſionem cum fontibus conferre & loca obſcura illuſtrare ſe recipit. Atqve ita ſe plurimis probavit hic Toſſani labor, ut Biblia Lutheri ipſius animadverſionibus aucta poſt primam editionem Heidelbergenſem Anni 1617. fol. ſæpius lucem adſpexerint: etiam additis notis Belgicis.

Digitized by Google

gicis & Diodati in Germanicam Lingvam conversis, Francof. Anno 1668. fol. Qvanqvam nimium in hoc opere Reformatorum hypothesibus litari, atqve Lutheri versionem ipsi minime placituris animadversionibus onerari conqvesti sunt D. Winckelmannus *T. VII. Dissert. Giss. Disputat. 7.* & Balthasar Menzerus cujus judicium calculo suo approbavit Waltherus *p. 406.* Officinæ Biblicæ. Conferant qvibus copia est B. Sbherzeri *Colleg. Biblioth. MSS. Cod. IV.*

## N. XXII.

Etiam *Neostadienses* Anno 1588. & *Herbornenses* Anno 1595. Lutheri Biblia Germanica cum notis suis Reformatam officinam aperte sapientibus prelo subjecerunt, de qvibus uti & de motis illi per nostros controversiis cum in historia versionis Biblicæ Megalandri nostri, plura dixerimus, ea hoc loco prolixius repetere non est necesse.

COROL-

Digitized by Google

## COROLLARIA,

Theſes ex VII. Articulis Aug. Confeſſ. annexis qvos vulgo Articulos Abuſuum vocant.

### I.

Communio Cœnæ Dominicæ ſub utraqve ſpecie vi Inſtitutionis Chriſti in Eccleſia Lutherana recte adminiſtratur.

### II.

Conjugium Sacerdotibus uti V. ita qvoqve N. T. perinde ac Laicis divinitus conceſſum eſt.

### III.

Sacrificium Pontificiorum Miſſaticum, non minus impium, qvam in meritum & Satisfactionem Chriſti injurium eſt.

## IV.

Specialis peccatorum enumeratio in Confessione privata, Christianis pro necessaria obtrudenda non est.

## V.

Jejunium cum a certis tantum cibis abstinetur, jejunium dicendum non est.

## VI.

Vita & vota Monastica, ut nec prorsus improbanda, ita nec penitus sunt approbanda.

## VII.

Pontifex Romanus Caput Ecclesiæ non est.



Digitized by Google

# DISSERTATIO X. & ULT.
## De
## *Bibliis Criticis Anglicanis & Poli Synopsi.*

### N. I.

Circa idem Tempus qvo *Biblia Polyglotta* a *Briano Waltono* adornata sunt, in Anglia evulgata fuit collectio præcipuorum Interpretum in sacram Scripturam, novem in folio Tomis sub titulo *Criticorum Sacrorum*, qvæ *Biblia Critica* vulgo vocatur.

### N. II.

Curam & impensas ex omnibus maxime impendit *Cornelius Bee*. Ita enim Præfat. ad Lectorem: *Hoc vero præcipue Cornelii Bee, hominis ad antiqviores melioresqve literas juvandas nati, curæ & impensis acceptum ferimus. Is enim vere Φερώνυμος qvicqvid vel ex suapte peritia vel ex indicatione aliena dignum compererat, id omne sedulo conqvisitum in hanc Thesaurum Sacrum, in hanc Catenam Biblicam, vel, si mavis (nec enim facile est tantum Opus satis amplo titulo cohonestare) in hanc Bibliothecam Hagio-Criticam, sicut Apis puro distendit nectare cellas, congessit & in tuos usus recondidit.*

## N. III.

Recensendi industriam colligendiqve studium posuerunt *Jo. Bearsonius* & ceu ipse in *Vindiciis Ignatianis* fatetur, & in subscriptione Præfat. ad Lectorem.

*Antonius Scattergood*, Ecclesiæ Lincolniensis Canonicus qvem hoc nomine laudat ingeniosissimus *Jac. Duoprius* in Musis subcesivis Sylv. Lib. I. I p. 174.

AD

Antonium Scattergoodum, S.T.D. Lincolniensis pariter & Lichfeldensis Ecclesiæ Canonicum, Theologum juxta & Criticum insignem.

*Chartis inornatum siteri nec meis*
*Σκεδάγατε, te patiar, vir ο Φερώνυμε.*

*Tu*

*Tu ſparge egenos inter, ut ſoles, bona;*
*Bona verba in Æde ſparge, qvod facis, ſacra.*
*Tuumne nomen planius dicam? haud opus:*
*Qvis namqve neſcit tanta ſpargentem bona?*
*Vis dicam aperte? Spargi bonum qvisqvis meum.*
*Non novit, ille totius fere Angliæ*
*Ἑλληνικώτατον profecto nec virum,*
*Κριτικώτατον nec novit, aut Criticos Sacros;*
*Qvos tu reviſos (qvantum opus!) mundo dabas.*
*Hac unica in re fallit & nomen tuum,*
*Qvod nempe Libros colligis ſimul bonos.*

*Franciſcus Gouldmann* Eccleſiæ Okendon auſtralis in Comitatu Eſſexiæ Rector.

*Richardus Pearſon* Colleg. Reg. Socius.

N. IV.

Solent autem *Critici Angli* vocari, non qvod autores, qvi in hoc opere continentur vel omnes vel pleriqve Angli fuerint, cum oppido pauci ex univerſis

verſis illis Anglicam habuerint patriam, ſed qvia *ab Anglis* in *Anglia* collecti editiqve ſunt primum Londini Anno 1660.

## N. V.

Qvæ porro in vaſto illo ac præſtantiſſimo opere continentur, hæc ſunt: *Qvinqve priores tomi* notas integras Sebaſtiani Münſteri, Franciſci Vatabli, Sebaſtiani Caſtellionis, Iſidori Clarii, Johannis Druſii & Hugonis Grotii in Vetus Teſtamentum per ſingula capita librorum ſibi invicem ſuccenturiatas continent, præterqvam qvod,

*Primo Tomo* qvi *commentaria ad Pentateuchum* complectitur occurrunt etiam *Pauli Fagii* in Onkeloſi Paraphraſin Chaldaicam qvinqve librorum Moſis ſuccinctæ annotationes & fuſior qvatuor primorum capitum Geneſeos expoſitio. *Hugonis Grotii* explicatio Decalogi ut Græce extat, *Joh. Druſii* de Mandragoris & *Joſephi Scaligeri* Sixtiniqve Amamæ breves de decimis commentationes.

*Tomus ſecundus* exhibet inſuper luculentum & doctiſſimum commentarium *Andreæ Maſii* in Joſuam & *Lud. Capelli* de voto Jephtæ diſſertationem.

*In tertio Tomo* præterea comparent *Philippi Codurci* in Jobum annotationes & *Rodolphi Bayni* commentarius in Proverbia Salomonis.

*In*

Digitized by Google

*In qvarto Franciſci Forerii* Commentarius in Eſaiam & *Eduardi Livelai* annotationes in Oſeam Joëlem, Amoſum, Obadiam, Jonam. *Ludovici qvoqve Capelli* de templo excerpta ex Johanne Baptiſta Villalpando.

*Qvintus Tomus* qvi libris Apocryphis conſecratus eſt complectitur etiam *Claudii Baduelli* in eosdem annotationes, a Rob. Stephano olim vulgatas & *Davidis Hæſchelii* notas in Eccleſiaſticum.

In *duobus proximis Tomis* obviæ ſunt Laurentii Vallæ callationes in Novum Teſtamentum cum animadverſionibus *Jacobi Recii*, notæ *Eraſmi*, *Vatabli*, *Caſtellionis*, *Isidori Clarii*, *Nicolai Zegeri*, *Druſii*, *Grotiique*: *Sebaſtiani Miniſteri annotata in Evangelium Matthæi Hebraicum Joſ. Scaligeri*, & *Iſaaci Caſauboni* ad qvædam novi fœderis loca breves annotationes, Myrothecium *Johannis Cameronis*, *Jacobi* & *Ludovici Capellorum* notæ & ſpicilegium de qvibus proxime egimus, *Othonis Gvaltperii* ſylloge Votum exoticarum Novi Teſtamenti, *Abrah. Sculteti* annotationes in Epiſtolas ad Timotheum, Titum ac Philemonem, una cum exercitationibus ejusdem Evangelicis: Capitula Matthæi & Marci ex *H. Stephani* editione, *Lud. Cappelli* brevis diſqviſitio de Corban, *H. Stephani* interpretatio latina obſcuriorum vocum phraſiumqve Novi Teſt. Prologus Græcus in Pauli Epiſtolas ex *Bœcleri* editione, *Codurci* annotationes

ad

Digitized by Google

ad Hebr. IX, 16. 17. 18. *Grotii de* fide atqve operibus & de *Anti-Christo* commentaria, & *Jac. Gothofredi* exercitationes binæ de Eccleſia & incarnatione Chriſti ad 1. Tim. III, 15. 16. Hæc omnia optima ordine juxta librorum Biblicorum ſeriem ſuis qvæqve locis inſerta ac per ſingulorum capitum vices ſibi invicem ſubjecta ſunt. ſeorſim vero exhibentur *Johannis Pricæi* Angli annotata ad Matthæum, Lucae Evangelium, caput X. & XI. Johannis, Acta. 1. Cor. XII. Epiſtolas ad Timotheum, Titum, Philemonem, Jacobi, Johannis, Judae, Apocalypſin & Pſalmos. Supereſt ut qvos octavus & nonus tomus complectuntur tractatus, ſuccincte recenſeamus.

*In octavo* igitur offendere licet *P. Pithœum* de latinis Bibliorum interpretibus cum Nicephori Patriarchæ canone ſcripturarum, qvæ ex poſthumis Pithœi operibus deprompta ſunt. *Adriani* Iſagogen ſacrarum literarum Photio memoratam & ab Hoeſchelio primus editam cum antiqviſſimis Græcorum in Prophetas fragmentis. *Chriſtophori Helvici* deſiderium Matris Evæ & Protevangelium Paradiſiacum. *Joh. Buteonis & Matthæi Horſti* de arca Noæ libellos. *Martini Helvici* de vaticinio Jacobi & de LXX. hebdomadibus Danielis Moſaicarum & Romanarum legum collationem cum Pithœi notis, *Georg. Rittershoſium* de jure aſylorum, *Matthæum Hoſtum* in Menomachiam Davidis & Goliathi, *Mich Rothardi* Samuelem redivivum & Saulem αὐτόχειρα Eu-

ſtathi-

*Eathium Antiochenum* de Engastrimytho cum Leonis Allatii syntagmate ejusdem argumenti. *Casp. Varrerii de Ophira* regione disputationem, *Guil. Schickardum* de festo Purim, *Benedicti Ariæ* a patria Montani dicti, Antiqvitatum Judaicarum libros IX. cum figuris æneis. *Bonaventuram*, *Cornelium Bertramum* de Republica Judæorum cum animadversionibus *Constantini l' Empereur*, *Petri Cunæi* de eodem argumento libros III. *Edwardi Brerewoodi* de ponderibus & pretiis veterum nummorum, *Bertrami* lucubrationes Franckenthalenses, *Antonii Nebrissensis* qvinqvagenam sive 50. locorum S. Scripturæ explanationem, *Joh. Drusii* Animadversorum libros, aliaqve varia, qvibus proverbia ejusdem sacra non addita esse miror.

*Nonus* deniqve ac postremus tomus exhibet *Nicolai Fulleri* Miscellaneorum libros VI. in Anglia & Germania sæpius excusos, *Sam. Petiti* Varias Lectiones in Scripturam ex ejus opere, qvod Varias Lectiones inscripsit, decerptas, *Simeonis de Muis Galli* Varia Sacra variis e Rabbinis contexta, *Joh. Gregorii* in aliqvot S. Scripturæ loca notas & observationes doctissimas Anglice plus simplici editas, hic vero latine translatas. *Christophori Cartvvrigthi* (cujus electa Targumico-Rabbinica in Genesin & Exodum tunc neglecta) Mellificium Hebraicum, sive observationes ex Hebræorum antiqvorum monumentis desumtas. *Lucæ Brugensis* in variantia SS. Biblio-

rum loca notationes. *Jac. Lopidis Stunica* contra Eraſmum annotationes pro vulgata translatione N. T. *Eraſmi* apologiam ad Stunicam, qvæ legitur Tomo poſtremo ejus operum. *Marqvardi Freheri* diſſertationem de numiſmate cenſus. *Guil. Klebitii* de buccella intincta qvam comedit Judas. *Matthæi Hoſti* de ſex hydriarum Joh. II. capacitate. *Guil. Aderi* de Ægrotis & Morbis in Evangelio. Angli Cainii in loca aliqvot N. T. & *Nic. Fabri* de potione myrrhata. *Lud. Capelli* delineationem triplicem templi Hieroſolymitani & Hiſtoriam Apoſtolicam illuſtratam. *Joh. Cloppenburgii* collationes Criticas ſacras per Epiſtolas cum Ludovico de Dieu. *Jacobi Uſſerii* de Cainane Arphaxadi filio diſſertationem. *Matthæi Wreen* Epiſcopi Elienſis ſolidiſſimum opus in Catecheſin Racovianam, qva dicta Scripturæ contra Socinianos egregie vindicantur. *Franciſci Moncæi* Aaronem purgatum ſive de vitulo aureo libros II. & *Joh. Antonidæ von der Linden* Vini plenos, ſive Exercitationem ad Act. II, 13. Tandem hunc Tomum atqve adeo totam collectionem claudunt *Hugonis Grotii* libri VI. de Veritate Religionis cum ejus annotationibus.

## N. VI.

Atqve hæc ſunt, qvæ *Londinenſis* Criticorum ſacrorum editio complectitur, (de qvibus judicium ſuum expoſuit *Richardus Simon* Crit. V. T. Lib. III. c. XV.) neqve plura poſtmodum exhibuit *Wuſtiana*, qvæ *Francofurti* ſeptem Tomis lucem adſpexit.

N. VII.

Digitized by Google

N. VII.

*Belgæ* autem, qvi noviſſime eosdem Criticos charta & charactere nitidiore recuderunt, & plures alios promittunt tomos, in qvibus ſcripta virorum Doctorum ad Philologiam ſacram ſpectantia colligent, & ſeqventia additerunt.

## Scripta, qvæ in editione Belgica Criticorum Sacrorum Anglorum acceſſerunt.

*Johannis Druſii* notæ majores in Geneſin, Exodum, Leviticum & prima 18. capita Numerorum.

*Sixtini Amame* Cenſura vulgatæ verſionis Pentateuchi.

*Chriſtophori Cartwrighti* Electa Targumico-Rabbinica in Geneſin & Exodum.

*Andreæ Maſii* notæ in poſteriora capita Deuteronomii a decimo ſeptimo usqve.

*Moſes Barcepha* de paradiſo ex verſione Maſii, cum Baſilii Anaphora, Moſis Mardeni profeſſione fidei & aliis qvibusdam a Maſio editis.

*Maſii in Joſuam* notæ, diverſæ a pridem editis.

*Huetii* Commentarius de paradiſo & de navigatione Salomonis.

*Auguſtini Juſtiniani* Octapla in Pſalmos.

*Joh. Druſii* Scholia in Pſalmorum verſionem Hieronymianam



Digitized by Google

- in priores XIX. Psalmos Commentarius, qvibus veterum versiones expenduntur.

- in sententias Salomonis, sub titulis Alphabeti ordine digestis collocatas.

*Sixtine Amame* lectiones in libros Historicos, Psalmos, Proverbia & Ecclesiasten.

*Joh. Drusii* in tria prima capita Esaiæ.

*Andreæ Masii* in Jeremiæ caput 2. 3. 4.

*Joh. Drusii* in vulgatam versionem Hoseæ, Joëlis, Amosi, Zachariæ.

- lectiones in Micham, Habacucum, Sophoniam & in eorundem trium Prophetarum vulgatam versionem.

*Andreæ Masii* in qvædam loca qvatuor Evangelistarum Annotata.

*Joh. Simplicii* [*Sam. Maresii*, NB. non ut editoribus visum, *Claudii Salmasii*] notæ ad *Hug. Grotii* Commentarium in 2. Thess. 2.

Præterea Belgæ Commentarios *Grotii* dederunt ex Operibus ejus Theologicis, ubi Græcis locis latina semper versio est adjuncta. Vicissim omiserunt *Matthiæ Wreen* opus eximium adversus Catechismum Racovienſem & *Hugonis Grotii* libros de Veritate Religionis Christianæ, qvæ ambo Scripta extant in æditione Londinensi & Francofurtensi.

*Francofurtenses* duobus tomis supplementorum recuderunt universa editionis Belgicæ accensiones, nisi qvod latinam versionem locorum a Grotio allegatorum neglexerunt. Vicissim addiderunt Norto-

rii

ni Knatchbull annotata in N. T. qvæ in Editione Belgica deſiderantur.

N. VIII.

Sed qvamplurima ſuperſunt, qvæ in elegantiſſimo utiliſſimoqve illo opere præ aliis merentur locum, oppidoqve ad perfectionem laboris ſunt neceſſaria, & ut ab interitu aſſerantur, vel maxime opus habent, cum in paucorum extent manibus. Dabo ego vel *extemporaneum* ex Bibliotheca mea *indicem* librorum impreſſorum. De Manuſcriptis alibi.

## Scripta duobus novis Tomis Criticorum ſacrorum inſervitura.

*Alexandri Mori* de Scriptura S.
*Ejusdem* notæ in Novum Fœdus.
*Joh. Leusdenii* Philologi.
*Laur. Fabricii* Partitiones Codicis Hebræi.
*Rob. Stephani* Apologia Bibliorum ſuorum adverſus Cenſuram Theolog. Sorbonicorum.
*Humfred Hodii* contra Hiſtoriam Ariſteæ de LXX. Interpretibus.
*Joh. Dougthejī* Analecta V. & N. T.
*Ramireſii de Prado* Pentecontarchus.
*Martini Delrio* Adagialia ſacra V. & N. T.
*Andreæ Schotti* Adagialia Sacra N. T. Græco-Latina.



Digitized by Google

*Joach. Zebneri* Adagia Sacra, qvem & Delrio & Schottus exſcripſerunt,

*Johannis Croji* Obſervationes in N. T.

*Anonymi* Apologia pro Heinſio adverſus Joh. Crojium.

*Pauli Colomeſii* Obſervationes Sacræ.

*La Cerda* Adverſaria Sacra.

*Joh. Henr. Urſini* Analecta Sacra.

- ejusdem Arboretum Biblicum.

*Joh. Friſchmuthi* diſſertationes exegeticæ qvotqvot extant.

*Zach. Bogan.* Homerus Ebraizans.

*Marci Meibomii* ſpecimen cum refutatione Dn. D. B. H. Gebhardi.

*Franciſcus Vavaſſor* in Jobum.

*Joh. Piccars* Decapla in Pſalmos.

*Petri Poſſini* Spicilegium Evangelicum.

*Petri Keucbenii* in N. T.

*Martini Petri Cheitomei* Græco-Barbara N. T. qvæ Orienti originem debent.

*Joh. Boiſi* Collatio veteris Interpretis cum Beza in Evangeliſtas & Acta.

*Joh. Vorſtii* Hebraiſmi N. T.

*Joh. Pearſonii* Lectiones in Acta.

*Gilberti Gaulmini* de Morte Moſis.

*Thomæ Godwyn* Moſes & Aaron.

*Rob. Viſorius* adverſus Moncæji Aaronem purgatum.

*Fr. Vavaſſor* de Forma Chriſti.

*Erneſti Venii* Tractatus de pulchritudine Sponſæ in Cantico Canticorum.

*Thomæ*

Digitized by Google

*Thomæ Maſſutii* Paulus.
G. *Vechneri* Paulus Pauli.
*Joh. Andr. Boſii* Differt. ad 2. Tim. II, 22.
*Balth. Scheid.* de Oleo ſancto.
*Joh. Braunii* Sacerdos Hebraeus.
*Campegii Vitringæ* & *Jac. Rhenferdii* Scripta.
*Salmaſius* de Coma & Cruce.
*Bartholinus* de cruce, de Sedili medio, de Corona ſpinea, & de ſudore ſangvineo.
de Morbis Biblicis & de paralyticis N.T.
*Jac. Lydii* Agoniſtica ſacra.

*MATTHÆI POLI SYNOPSIS.*

*Matthæus Polus* Londinenſis, Theologus Clariſſimus, (circa Annum 1685. cum Commentario Anglico in univerſam Scripturam, de qvo infra agemus, inſudaret defunctus) auſo propemodum Herculeo & incredibili induſtria, non tantum ex *Criticis ſacris* jam memoratis, ſed & ex *Bibliis maximis Johannis de la Haye* & aliis ſeparatim editis optimis qvibusqve interpretibus ac commentatoribus collegit, atqve in omnes libros Biblicos (exceptis Apocryphis) digeſſit Synopſin. In qva omiſſis minutiis & repetitionibus aliisqve ab inſtituto alienis, varietates verſionum & expoſitionis diverſas ac praeſtantiſſima qvæqve doctiſſimorum virorum cogitata ad explicationem ſacrarum literarum ſpectantia, autorum plerumqve verbis breviter atqve ut ipſe qvidem teſtatur, qvam potuit perſpicue & fideliter, exhibere conatus eſt.

Neqve adjutum ſe diffiteturcogitatis & collectaneis

ctaneis *Johannis Wilkinſii* Epiſcopi Ceſtrienſis, *Thomæ Brogrove* Harfordienſis Baronetti, *Johannis Lightfooti* (de qvo in ejus vita ****3.b.ſeq. & ****** b.) *Johannis Palmari* Archi-Diaconi Northamptonienſis & *Thomæ Gvidotti* Medici Bathonienſis. Vix autem lucem adſpexerat Poli opus Londini qvinqve Tomis in folio excuſum ab Anno 1669. ad 1676. cum Francofurtenſes editionem ejus repeterent ad umbilicum perductam Anno 1679. ſumptus erogante *Balthaſare Chriſtophoro Wuſtio*. Paucis annis interjectis recuſam eſt Ultrajecti *Johanne Leusdenio* recenſente Anno 1686. Deniqve minoribus & oculorum aciem pene fugientibus typis forma qvarta majore, prelo iterum ſubjectum prodiit ex *Wuſtii Officina* Francofurti Anno 1694. Cæterum in Poli collectione qvam præterea laudat, *tria jure reprehendere* ſibi viſus eſt *Richardus Simon* lib. 3. Hiſt. Crit. V. T. p. 37. *Primum* qvidem qvod qvæ ſub variarum verſionum Samaritanæ, Chaldaicæ, Syræ & Arabicæ nomine proferat, ſolis ſæpe latinis earum translationibus nitantur non ipſa originali. *Alterum* qvod methodus, qva varias explicationes textus colligit, aliqvantum confuſa ac perturbata eſſe videatur. *Tertium* deniqve qvod absqve meliorum delectu promiſcue varias omnes explicationes proferat, non ſatis edocto lectore, qvæ admittenda, ſecus ſecus. Qvod poſtremum in *Polo* etiam carpendum ſibi duxit B. *Johannes Thilo*, Eccleſiaſtes Lipſienſis, qvi propterea in ſtudioſorum uſum, ut haberent qvod ſequerentur ex *Poli* Synopſi collegit *Medullam Theologiæ*

*gia Veteris Testamenti Exegetica Thetico-Polemica ac Homiletica*, seu Epitomem Bibliorum Regiorum Criticorum Exegeticorum & vindicatorum, qvantum ad dicta Vet. Test. classica numero CCCXXV. Lipsiæ 1683. 4. Idem in dicta N. T. molitus sed morte interveniente non perfecit. vide Acta Er. 83. p. 135. Qvamvis hunc defectum postea Polus ipse supplere conatus est in Annotationum Anglicanarum opere, qvo perspicue, qvæ ex tot sententiis interpretum sibi præ cæteris placeret, exposuit. Paulo igitur acrior censura est, qva autorem synopseos tangit Marcus Meibomius in præfatione speciminis secundi his verbis: *Ex instituto nihil monet de variis illis interpretationibus & explicationibus verane sint an falsa. Nec tamen opinandum est manifeste falsas eum inserere voluisse. Hanc igitur Salazari* (ad Prov. XVII, 27.) *& innumeras alias falsas ac frivolas esse ignoravit. Neque enim ea eruditione ac judicandi facultate præditus fuit ut discerneret, ac judicium de iis interponeret. Qvid ergo facturos eos credimus, qvi minori etiam eruditione qvam Polus instructi ea Synopsi utentur? Certe idem qvod sermonis hujus autor. Eligent sententiam ex his, qvas Polus multas ad difficilia loca collegit, opinando cum nullas improbarit omnes recipi posse, conandum esse, ut excogitatis rationibus stabiliantur. Unde infinita frivolarum homiliarum seges ex tam larga Synopseos Criticorum sementi orbi Christiano brevi surget. Pernicioſus igitur vulgo concionatorum usus est Synopseos Criticorum, nisi disjunctionum tomus, præsertim in V. T. brevi edatur. Qvod certe auxilium & beneficium ab Ecclesia Anglicana*

*Antistitibus flagitant Sacræ literæ. Præterea promiscuus Synopseos illius usus etiam pagorum ministros instruet, ut Targum Onkeli & Jonathanis, & sesqvipedalia Rabbinorum vocabula subinde homiliis suis inferciant, & præter LXX, Aqvilam qvoq; & Symmachum ac Theodotionem crepent. Qvæ omnia cum antehac cathedraticis duntaxat Doctoribus tanqvam mysteria paterent, nunc vulgo & ambitiosis juvenibus exposita sunt. Qvid ergo, dicet aliqvis, nullam ne tam immensi operis utilitatem reperis? Nullam eqvidem aliam reperio, qvam qvæ ex largissimo indice percipiatur, præsertim qvod ad Vet. Test. attinet. Scire enim curiosus inqvisitor pauca lectione poterit qvænam plerorumqve commentatorum & interpretum de difficili loco sententia sit. Nam qvi rationes autorum cognoscere volet, cur ita verterint aut explicarint, integra eorum commentaria adibit. Synopsin enim duntaxat dedit Polus. Ossa plerumqve, carne plenioris explicationis & nervis rationum nudata.* Hactenus Meibomius, cujus judicio etsi qvædam in Poli Apologiam facile opponi possint, negari tamen neqvit autorem Synopseos in tanto præcipue tamq; longo opere vitare minime potuisse, ut non hinc inde eandem notam apud diligentes & doctos lectores incurrat, qva Cornelium *Schrevelium* aliosqve qvi Synopses annotationum in Scriptores classicos sub splendido *notarum Variorum* titulo collegerunt passim, male audire videmus, confer *Borremansii* Varias Lect. cap 7. qvod sententias Virorum Doctorum qvorum scripta excerpunt neqve integras sæpe, neqve semper ad eorum mentem, plerumqve vero justis probationibus destitutas attulerint.

Qvæ

Qvi vel solum *Andreæ Masii* in Josuam commentarium cum Poli Synopsi conferet, vera nos dixisse fatebitur. Qvot enim præstantissimæ & ad institutum maxime facientes Observationes Criticæ omissæ? qvot loca præclare a *Masio* exposita vix obiter notata? Nec satis integre ubivis ejus sententiam adductam patet vel ex his qvæ Polus notat ad Josuæ III, 4. *Nam per mare qvidem transierant, sed non per fluvium, videlicet qvi minores fuerunt XX. annis* cum Masius ita scripsisset p. 57. *Multi enim etiamnum superstites erant, qvi mare illud transierant. Nam pernicies illa ex rebellio nota adeo non pertinuit, qvi minores annis viginti erant, neqve ut multorum est opinio, ad Levitas.* Plura ejus commatis præterimus, cum neqve hoc reprehendendi studio duxerimus annotandum, probe gnari, qvam difficile negotium sit ex tot & tam plenis bonæ frugi scriptoribus in universos libros Biblicos perfectam catenam conficere, in qva usqve qvaqve nihil sit qvod carpas. Certe *Thomæ Crenii* sententiæ subscribere non possumus, qvi parte prima animadverss. Philolog. & Historic. p. 44. *Notas Poli sæpe nullas, breves, sine judicio ex aliis excerptas qveritur.* Nimis profecto durum hoc est atqve in clementissimum de præstantissimo opere judicium etsi p. 46. idem *Crenius* allato exemplo qvodam ubi ad Rom. V, 1. Gvilielmus Estius in contrariam plane sententiam, qvam qvidem ejus commentarii præ se ferunt, a Polo laudatus est, pluribus ostendere se posse affirmat, *haud semper optima fide autorem Synopseos Scriptorum sententias adducere.* Certe rarissime hoc a Polo admissum, invitoqve prorsus in longo opere somnum ei adeo obrepsisse ut autoribus aliam sententiam affin-



Digitized by Google

geret, audacter pronunciamus. Stylum succinctum, nervosum & succulentum nec mino perspicuum laudat *B. Scherzerus* in collegio Bibliothecario MS. codice 1. ut negat se qvicqvam jucundius in hoc genere unqvam legisse. Neqve vero Reformatos duntaxat commentatores excerpsit, sed Pontificios qvoqve & nostros *Geierum, Gerhardum, Erasmum Schmidium*, nullam tamen rationem habuit Socinianorum, qvod miratur *Rich. Simeon* III. Hist. Crit. N. T. p. 797. Sufficiat Summum Numen Celeberrimo Hamburgensium Prof. *Dn. D. Jo. Alberto Fabricio* otium ac vires, & Comentariorum in *Libros Apocryphos* Synopsin, qvam in supplementum Poliani operis meditatur, in signi cum Ecclesiæ commodo atqve Lectorum applausu habebimus.

*COROLLARIA*

sive Theses juxta seriem XXI. Articulorum Aug. Conf. dispositæ; ex Art. VII. ultimis.

*Ex Art. XV. Ritus Ecclesiastici adiaphori sunt & indifferentes, adeoqve Ecclesiæ pro necessariis minime obtrudendi, nedum opinio cultus aut meriti affricanda iisdem.*

*Ex Art. XVI. Jus suum coram judicio civili adversus proximum etiam Christianum, dummodo id non fiat animo vindictæ cupido, neqvaqvam illicitum sed concessum est.*

*Ex Art. XVII. Ut gloria Beatorum ita pœna qvoqve Damnatorum est aterna; in utraqve autem certi erunt gradus.*

*Ex Art. XVIII. In conversione homo mere passive sese habet, nec qvicqvam ad eandem cooperari potest.*

*Ex. Art. XIX. DEVS peccati causa nullo prorsus modo nec Physica nec moralis dici potest.*

*Ex. Art. XX. Bona opera nota qvidem sunt, non autem forma vera fidei.*

*Ex. Art. XXI. Religiosa adorationis & invocationis cultum Angelis aliisve Sanctis demortuis tribuere, vera Idololatria est.* In-

Digitized by Google

# INDEX

## DISSERTATIONVM.


I. *Dissertatio Carolina, Scriptores Pontificios, qvi Catalogos Commentatorum in S. Scripturam vulgarunt, exhibens.* Resp. Ludovicus Jacobus Dithmarus, Regiomont. Boruss. 1702.

II. *Bibliotheca Biblica, exhibens Scriptores Judæos & Christianos e qvibus Judæorum in V. T. Commentatorum notitia peti potest.* Resp. Christian. Philipp. von Santen, Gryphisvv. Pomeranus. 1702.

III. *Bibliotheca Biblica Armaria Duo, Reformatos atque Lutheranos Scriptores, qvi Commentatores in scripturam collegerunt, tradens.* Resp. Christianus Ernestus Klein, Marienvverda Prutenus. 1702.

IV. *Bibliotheca Biblica, complectens, qvi perpetuos in Scripturam S. sive universam, seu plurimos ejus Libros Commentarios scripserunt, ex Pontificiorum Ordine.* Resp. Joh. Krügerus, Dorpato Livono. 1702.

V. *Ex Bibliotheca Biblica Lucam Brugensem, Theologum Lovanienſem, Antonium de Escobar & Mendoza, Gvilielmum Estium, Franciscum Haræum, Jacobum Gordonium, Johannem Marianam, Emanuelem Sa, & Petrum Lanselium, Joh. Stephanum Menochium, Cornelium a Lapide, Jacobum Tirinum,*


Digitized by Google

*num, Johannem de la Hage, Biblia magna & maxima, Opus affectum Francisci Garzia de la Valle ostendet.* Resp. Joachimus Christianus Warnike, Anclamensis Pomeranus. 1702.

VI. *Bibliotheca Biblica, complectens, qui perpetuos in Scripturam S. Commentarios scripserunt ex Reformatorum Ordine.* Resp. M. F. Qvadius, Zach. Pom. 1702.

VII. *Bibliotheca Biblica, de Johannis Piscatoris, Fratrum Ludovici atque Jacobi Capellorum & Johannis Lightfooti in Sacrum Codicem Commentariis.* Resp. M. F. Qvadius, Zach. Pom. 1703.

VIII. *Bibliotheca Biblica de Joh. Cocceji, Lud. de Dieu, Nic. Arnoldi, Abrah. Gulichii, in Script. S. Commentariis.* Resp. M. F. Qvade, Zach. Pom. 1703.

VIIII. *Bibliotheca Biblica, de Commentariis Reformatorum in Biblia S. vernaculis Joh. Deodati, Samuelis Maresii, Matth. Poli, Joh. Eduardi, Belgicis, Joh. Piscatoris, Pauli Tossani &c.* Resp. M. F. Qvadius. Zach. Pom. 1703.

X. *De Bibliis Criticis Anglicanis & Poli Synopsi.* Resp. M. F. Qvadius, Zach. Pom. 1703.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google